(2

JOSEPHI VALENTINI EYBEL

V. J. D.

ET JUR. ECCLESIAST. PROF.

PUBL. CÆS. REG.

INTRODUCTIO IN JUS ECCLESIASTICUM CATHOLICORUM.

TOMUS SECUNDUS.

DE DISTINCTIONE POTESTATIS SACRÆ A CIVILI, ET DE JURIBUS PRINCIPUM CIRCA SACRA.

VITTORIO EMANUELE III · BIBLIOTECA NAZIONALE · NAPOLI

VENETIIS,
SUMPTIBUS FRANCISCI EX NICOLAO PEZZANA,
MDCCLXXXI.
CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO.

ELENCHUS
TOMI II.

LIBER PRIMUS.

DE MUTUA INDEPENDENTIA POTESTATIS ECCLESIASTICÆ, Et imperii Civilis, ac utriuſque limitibus in genere.

CAPUT PRIMUM.

De Naturæ poteſtatis Eccleſiaſticæ. Pag. 1.

I I.

De Diſtinctione Poteſtatis Sacræ, & Imperii civilis. 2

I I I.

De objectionibus adverſariorum, quæ in nudis aſſertis, aut fallacibus argumentis conſiſtunt. 5

I V.

De iis, quæ adverſarii ex locis ſacræ Scripturæ, prorſus non ad Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum mentem expoſitis, pro ſua ſententia extorquere volunt. 10

V.

De refugio adverſariorum ad ſententias quorumdam Conciliorum, & ad Canones, ac facta quorumdam Pontificum. 16

V I.

De limitibus Poteſtatis Eccleſiaſticæ, ac Civilis in genere. 20

L I B E R II.

DE PRÆCIPUIS JURIBUS IN SPECIE,

Quæ Summi Principes circa Sacra intra ſuos limites habent.

CAPUT PRIMUM.

DE Jure Principis circa ſacra, relato ad actiones quorumcumque fidelium in republica viventium. Pag. 24.

I I.

De Jure Summi Principis peculiariter conſiderato circa actiones Miniſtrorum Religionis. 31

I I I.

De Jure Summi Principis, cum ſingulis poteſtatis Eccleſiaſticæ partibus, & quibuſvis juribus Eccleſiaſticis collato. 43

I V.

De iis, quæ ad notionem rerum, & bonorum Eccleſiæ pertinent, ac inde eruendis circa ea juribus Principum in genere. 45

V.

De Juribus Summi Principis circa bona Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum in ſpecie. 49

L I.

LIBER PRIMUS
DE MUTUA INDEPENDENTIA
POTESTATIS ECCLESIASTICÆ ET IMPERII CIVILIS, AC UTRIUSQUE LIMITIBUS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Poteſtatis Eccleſiaſticæ.

§. 87.

NAtura cujuſdam poteſtatis ex ipſo fine, cujus cauſa introducta eſt, deſumi debet (*a*). Cum igitur totius Religionis atque Eccleſiæ finis non ſit alius, quam Dei cultus, atque æterna ſalus (*b*), queis *interna* hominis *felicitas* nititur (*c*), quiſque, cui conſiderata eſt ratiocinatio, rectiſſime concludet, totam quoque poteſtatem Eccleſiaſticam ex natura ſua non alio, quam ad felicitatem internam eſſe directam, ſeu quod idem eſt, eamdem eſſe *mere ſpiritualem*.

(*a*) Eſt enim poteſtas facultas moralis actiones hominum liberas ad certum finem dirigendi, ergo illa huic correſpondeat neceſſe eſt.

(*b*) *Hæc eſt autem voluntas Patris, qui miſit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Joan. VI. 40. Idem indicat Matth. c. XVIII. 11. XXI. 28. Marc. X. 17. XVI. 16. Luc. III. 49. IV. 18. XXV. 47. &c. Atque ex univerſa Chriſti doctrina non mihi oſtendes, quod ille unquam ad finem alium, quam animarum Salutem collineaverit.

(*c*) Felicitas eſt ſtatus voluptatis durabilis, quæ nempe ſi oritur ex perfectionibus internis *felicitatem internam* ſeu *Beatitudinem*; ſi vero ex perfectionibus externis originem trahit, *felicitatem externam* ſeu *proſperitatem* producit. Patet I. quemvis mortalium a natura ad felicitatem adſpirare, utpote dum ipſa Natura nos ad appetendum id, quod adfert perfectionem ſeu bonum, & averſandum malum incitat, & dum ex appetitione ejuſmodi boni, ſimul ac nobis præſens eſt, voluptas, & ex voluptate felicitas conſurgit; quamquam multi felicitatem ſuam in peſſimis quærant ideo, quia ſpuriis motivis obcæcati eadem ſibi ut optima repræſentant. II. Eſſe poſſe quem interne felicem, qui undique oppoſita proſperitati *miſeria* premitur; & viciſſim eſſe poſſe quem externe proſperum, quantumvis imperfectiones internæ ipſum veriſſime *infelicem* reddant. III. aliquam quidem felicitatem internam jam in hoc mundo per virtutem, quæ nobis perfectiones internas tribuit, obtineri. IV. Pleniſſimam tamen ejuſmodi felicitatem, quæ finis noſtræ Eccleſiæ eſt, tum demum a nobis acquiſitam iri, quando irrequietum & immortalitatem unaque ſummum bonum ambiens cor noſtrum in æternæ atque omnigenæ Beatitudinis fonte ſeu in ipſo Deo requieſcet. Patet V. etiam felicitatem externam, quia nil in hoc mundo ſine ægritudinis admixtione eſt, id nomen haud proprie mereri, atque adeo dum de interna externaque hujus vitæ felicitate ſermo fit, VI. Intelligi ſtatum ejuſmodi voluptatis, quam perfectiones internæ externæque, quantum in hoc mundo fieri poteſt, ſtabilem faciunt. Conf. cl. de Riegger l. c. Prol. §. 1. uſque 14. S. 1. 4. §. 155. & ſeq.

(*d*) Pro caſu vere tali, quem adverſarii ad hoc, ut *indirectæ dependentiæ* locus ſit, requirunt, illa a Chriſto doctrina data eſt, quam locis SS. Literarum ſequentibus expreſſam legimus.

1. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Matth. X. v. 28.

2. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, Luc. XXI. v. 19.

3. *Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem Regnum meum non eſt hinc*. Joan. XVIII.

4. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit*. Marc. XIII. v. 13. Adde Luc. IX. 54. & Joan. XVIII. v. 10. ubi Salvator noſter Jacobo & Joanni contra Samaritanos ignem de cælo expoſcentibus repoſuit: *neſcitis, cujus ſpiritus eſtis* & Petro contra ſervum Pontificis gladium adhibenti: *Mitte gladium tuum in vaginam*. *Nec non illud Luc. XXII. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem ſuper eos habent, benefici vocantur; vos autem non ſic*.

Profecto ſi undique odia & afflictiones, ſi ultima ſupplicia & hæc quidem ſi ipſi Eccleſiæ fundatori imminent, ſtatus fidelium & Religionis externus utique omnium eſt peſſimus. Atque hoc in ſtatu fidelium & religionis externæ peſſimo, hoc in caſu indirectæ dependentiæ ab adverſariis poſito Chriſtus non *indirectam* poteſtatem occidendi occiſores corporum, non *indirectam* poteſtatem decertandi, ſed patientiam promiſſo illis, qui ſuſtinuerint, æterno præmio demandavit. Quum cognoviſſet, *quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus*. Joan. VI. v. 15. etſi ut Rex in commodum ſuæ Religionis, in ſubactionem ſuorum perſecutorum temporali poteſtate quæque ſuſcipere potuiſſet; ſed denique qui nequidem *judicem aut diviſorem in terrenis agere voluit*. Luc. XII. v. 14. is multo minus obtutu ſuæ Religionis defendendæ propagandæque, ſeu quod idem eſt, *indirecte* ipſis Regnis & Principum quantumvis impiorum ſuppreſſioni inhiavit.

(*e*) *Et illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*, Act. Apoſt. C. IV. quorum Apoſtolicorum Actuum ſingula ſi Capita conſulueris, in ſingulis aut opprobria, aut vincula, aut flagella, aut demum ultima quoque ſupplicia Religionis cauſa Apoſtolis eſſe illata, eoſdemque tamen nullam hæc omnia avertendi *indirecte* ejuſmodi poteſtatem ſibi ſumſiſſe deprehendes. *Vincula & tribulationes Jeroſolymis me manent* ait Paulus ibidem C. XX. v. 23. & ſeq. *ſed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quam me, dummodo conſummem curſum meum & miniſterium verbi, quod accepi a Domino Jeſu teſtificari Evangelium gratiæ Dei*, & C. XXI. v. 13. *ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum propter nomen Domini Jeſu*, & C. XXV. v. 8. *neque in Cæſarem quidquam peccavi*, & v. 11. *ſi enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori*. Conf. ejuſdem Apoſt. ad Rom. C. V. v. 3. & ſeq. C. XXII. v. 12. C. XIII. v. 1. & ſeq. I. ad Cor. C. IV. v. 11. 12. 13. II. ad Cor. C. I. v. 4. & ſeq. C. IV. 8. & ſeq. præcipue 17. C. XI. v. 23. uſque ad finem I. ad Theſſ. C. III. v. 3. & ſeq. II. ad Theſs. C. I. v. 4. & ſeq. 1. ad Tim. C. II. v. 2. & ſeq. II. ad Tim. C. II. v. 24. & ſeq. C. III. v. 12. ad Hebr. C. X. v. 32. uſque ad finem C. XII. v. 1. uſque 9. Epiſt. Cath. B. *Jacobi* Apoſtol. C. I. v. 2. 3. 4. C. V. v. 6. uſque 12. Epiſt. Beat. *Petri* Apoſt. I. C. II. v. 13. uſque 21. C. III. v. 13. & ſeq. IV. v. 13. 14. 15. 16. 19. Epiſt. Cath. B. *Judæ* Apoſt. v. 17. uſque 21. His plurimiſque locis aliis de omni, quæ Religionis odio fidelibus & Eccleſiæ inferri poſſunt, tribulationem genere, ſeu de caſu, quo *indirecta* illa dependentia niti deberet, ſermo fit; verum hac ratione, ut nulla externa reſiſtentia, nulla *indirecta* in tribulantes concedatur poteſtas, ſed potius ſola patientia & in Deum fiducia diſſerte atque enixe injungatur. Tam clare oppoſita eſt adverſariorum ſententiæ Apoſtolorum doctrina, atque tam nervoſi & emphatici ſunt textus ſinguli, ut niſi præſumere deberem, ſacrum Codicem, ut Chriſtianum decet, atque oportet, tibi ad manus eſſe, a ſingulorum deſcriptione non temperaſſem.

(*f*) Redi ad prima Eccleſiæ noſtræ ſecula, & exhibe mihi ejuſmodi *indirectæ* poteſtatis ab Eccleſia unquam ſibi arrogatæ exemplum. Regnavere Principes impii ſimul ſimulque crudeliſſimi; Perſecuti hi ſunt Eccleſiam omnimode, & quot quæſo tunc temporis fideles, qui non ſimul martyres effecti. En *indirectæ dependentiæ* caſum. Hoc ipſo autem caſu iidem fideles ultro ad martyrium, non ad arma contra impios Principes ſtringenda prorumperant. Quidquod ii, quibus militiam profeſſis arma non deſuere; armis poſitis omni poteſtati externæ, atque cruciatibus acerbiſſimis ſeſe ſubmiſerint. Uti pulcherrime hoc ipſum eloquitur S. Auguſtinus ſuper Pſ. 124. n. 7. *Aliquando*, ait, *injuſti perveniunt ad honores ſeculi; cum pervenerint & facti fuerint vel judices vel Reges, quia hæc facit Deus propter diſciplinam plebis ſuæ, non poteſt fieri, niſi ut exhibeatur illis honor, debitus Poteſtati — Julianus extitit infidelis Imperator: extitit Apoſtata: iniquus idololatra. Milites chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum, qui in cælo erat. Si quando volebat, ut idola colerent, & thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat: producite aciem,*

aciem: ite contra illam gentem: ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant dominum æternum a Domino temporali: & tamen ſubditi erant propter dominum æternum domino temporali.

(*g*) *Non monſtrabunt, puto*, inquit S. Bernardus L. I. de conſid. cap. 6., *ubi aliquando quiſquam Apoſtolorum Judex ſederit hominum aut diviſor terminorum aut diſtributor terrarum. Stetiſſe lego Apoſtolos judicandos, ſediſſe judicantes non lego. Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra; quoniam propter illa & non propter has accepiſtis claves Regni cælorum; prævaricatores utique excluſuri, non poſſeſſores*; vide, ut Bernardus *poteſtatem directam* atque *indirectam* non diſtinguit, vel ideo, quia Eccleſia tantummodo *claves Regni cœlorum* atque adeo tantum hoc regno prævaricatores, non vero terrenis bonis, atque Regnis poſſeſſores ob crimina excludendi facultatem obtinuit. *Habent* inquit porro, *hæc infirma & terrena, judices ſuos & Reges & Principes terræ; quid fines alienos invaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?* Idem S. Pater in Epiſt. 170. ad Ludov. jun. Reg. Gall. ita ſcribit: *Si totus terrarum orbis adverſum me conjuraret, ut aliquid moliar adverſus Regiam majeſtatem: ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere non auderem. Nec enim ignoro, ubi legerim: qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Non capiunt præfixi termini omnia reliquorum S. S. Patrum effata. Hinc tantum addo Ambroſii Epiſt. XX. in qua num. 22. & 23. hæc leguntur: *tradere baſilicam non poſſum: ſed pugnare non debeo. Habeo arma, ſed in Chriſti nomine: habeo offerendi mei corporis poteſtatem*: — Ejuſdemque ſermonem contra Auxentium num. 2. ubi dicit: *dolere potero, potero flere; adverſus arma, milites, Gothos quoque lacrymæ meæ arma ſunt: talia enim munimenta ſunt ſacerdotis: aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere.* Et denique ex S. Petri Damiani S. R. E. *Card.* & Epiſcopi Oſtienſis L. IV. Epiſt. 9. ad Udalricum hæc verba: *Inter Regnum & Sacerdotium propria cujuſque diſtinguuntur officia, ut Rex armis utatur ſeculi, & ſacerdos accingatur gladio ſpirituali, quod eſt verbum Dei.*

(*h*) Conf. Epiſt. Nicolai Pontif. in diſt. 96. can. 6. & Epiſt. Bonifacii in diſt. 97. c. 1. ad quos canones Nicolaus Cuſanus *Cardinalis* L. III. de Concordantia Catholica cap. 41. advertit, ita ſcribens: *Cogitet Romanus* Pontifex: quod ſuprema aliorum *miniſterialem curam habet, non dominationis imperium: ac utraſque a Deo eſſe poteſtates, ac noſtro gratiæ tempore vere diſtinctas ut Nicolaus Pontifex aſſerit diſt.* 96. CAN. CUM AD VERUM 6. *Et diſt.* 97. CAN. ECCLES. MEÆ & *conſimilia multa ad minus diſtinctionem independentem probare videntur. Et illa fuit omnium antiquorum opinio vera: etſi dubia noviter exorta ſunt, ob ſiniſtrum multorum complacendi ſtudium.* Sed & inſigniter S. Gregorius Magnus L. IV. Ep. 47. ad Sabinianum ſcribit: *unum eſt, quod breviter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris: quia ſi ego ſervus eorum in mortem Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec duces haberet, atque in ſumma confuſione eſſet. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me immiſcere formido.*

(*i*) In ipſo Seculo XIV. Albericus de Roſate interpres canonum, dictionario juris, voce *Electio*, hæc inſerere auſus eſt: *Paſtores Eccleſiæ mittentes falcem ſuam in meſſem alienam fecerunt quatuor decretales: unam de electione Imperatoris, quæ incipit* VENERABILEM *cap. 34. de Elect. Alia eſt de depoſitione Friderici Imperatoris cap.* 2. AD APOSTOLICÆ, DE SENTENTIA ET RE JUDICATA IN SEXTO. *Alia eſt ſuper diſcordia orta ex ſententia criminis læſæ Majeſtatis lata per Imperatorem Henricum, quæ eſt.* CAP. PASTORALIS 2. IN CLEMENTINA DE SENTENTIA ET RE JUDICATA. *Alia eſt* CLEMENTINA UNICA DE JUREJURANDO *quod Imperator tenebatur præſtare Juramentum fidelitatis Papæ & de aliqua poteſtate Papæ ſuper Imperatorem. Quæ decretales an ſint juſtæ, Deus novit: nullam enim earum ſalvo meliori conſilio (& ſi erroneum foret, revoco)* credo *juri conſonam. Immo eas credo proditas contra jura, & libertatem Imperii & puto poteſtates diſtinctas a Deo proceſſiſſe.* Leguntur autem, quæ etiam majore cum animo ſcripſere Petrus de Marca Epiſcopus Pariſienſis L. III. de Concord. Sac. & Imperii cap. II. n. 10. Jacobus Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis in defenſ. declarationis Gallicanæ L. 1. Sect. II. cap. 31. Lud. Elias Dupinius de antiqu. Eccl. diſs. VII. Natalis Alexander hiſt. Eccleſ. Sec. XVII. Lochſtein *Fundamenta pro & contra eccleſiaſticam in re temporali immunitatem*. Wilhel. Barclaji *Tractatus de poteſtate Sum. Pontificis in re temporali*. Van-Eſpen in Jur. Eccleſ. univ. P. I. Budæi diſs. de Concordia Religionis chriſtianæ vitæque civilis. Hiſtoire du Droit Canonique Londini Tom. II. c. 20. & diſſert. adnexa ſur le droit des ſouverains. Joannis Barclaji Vindiciæ pro Regibus ac Principibus adverſus Bellarminum Pariſ. 1612. reperitur etiam apud Goldaſtum Tom. III. pag. 895. Obſtræt. de locis Theolog. Pereiræ diſs. de geſtis ac ſcriptis Gregorii VII. adverſus Henricum IV. Imp. cenſuræ ſacræ facultatis Pariſinæ contra librum Antonii Santarelli de hæreſi, Schiſmate & Apoſtaſia apud Argentreum Tom. II. P. II. p. 10. 218. & 220. Ex quorum aliorumque ſinceræ Eruditionis Virorum operibus adverſus hanc illamve objectationem parata ſubſidia accipiemus,

§. 89.

§. 89. Quæ lubentiſſime reticerem adverſariorum argumenta (quandoquidem & ratione prædito & Chriſtiano, taceo homine docto (*a*) ſummopere indigna, eaque de cauſa potius oblivione ſepelienda eſſent) non tamen reticere poſſum ideo, quia hac ipſa tenebrarum ex parte adverſa poſitarum contemplatione, ſententiæ noſtræ veritas magis inclareſcit, atque omnino contra quæcunque, quæ excogitari poſſunt, roborata eſſe conſpicitur. Profecto non lætus de præteritorum temporum, & qui ea videbant, quorundam hominum vitiis, (*b*) ſed lætus, quod hæc evanuere vitia, atque inter noſtri ævi doctos ejuſmodi pernitioſarum ſententiarum fautores non deprehenduntur, cuncta illorum temporum inania certamina veluti in ſcenam dabo.

(*a*) Non mihi quæſo Bellarminum virum certe piiſſimum doctiſſimumque objice. Perlege ſententiam, qua Imperium civile a poteſtate ſacra *directe* non dependere, perſpicue atque accerrime defendit, atque ſi quid vides, in eadem ipſius ſententia non videre non potes, eum ſua mente neque illam *indirectam* dependentiam foviſſe. Neque fruſtra, uti advertit Cardinalis Perronius Repl. L. I. C. 91. *monet Bellarminus, id quod de Pontificia in temporalia poteſtate indirecta docet, non a ſe haberi ut fidei doctrinam aut ſub pœna excommunicationis tuendam.* Id ipſum in cauſa erat, cur Romani, qui tunc temporis hanc dependentiam magis demonſtratam cupiebant, adeo parum contenti hac Bellarmini elucubratione fuerint. Juvat huc applicare, quod Stephanus Baluzius Tutelenſis Presbyter in notis ad capitularia Regum Francorum, relato illo Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis dicto: *Papa Rex & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt*, ita ſcripſit: *ſane poſtea perſuaſum eſt Romanenſibus Papam eſſe Regem. Sed iſta opinio nondum ſtabilita erat ævo Hincmari. Imo altera certa videbatur. Itaque tunc capitale non erat, ſi quis regnum dixiſſet in Eccleſia non eſſe, adeoque Hincmarus extra culpam tunc erat, quamquam non extra invidiam. Sic ſancto Bernardo fas fuit libros de conſideratione ſcribere ad Eugenium Tertium. Alia fuere Baronii tempora.*

(*b*) Quis crederet: fuiſſe etiam aliquos, qui directam Imperii civilis a Regimine Eccleſiaſtico dependentiam defendebant. Fuerant ejuſmodi certo, & quidem his fruſtra clamaſſes, *felicitatem externam ſine interna & hanc ſine illa conſiſtere poſſe, & tot in Regnis jam conſtitiſſe, ex neutrius proinde natura unius ab altera dependentiam intelligi, porro Chriſtum, Apoſtolos, & omnem veterum Eccleſiam nunquam ſe Regimini ſeculari immiſcuiſſe, nunquam in civilibus, ut ſibi obedientia præſtetur, ſed potius contrarium verbis & exemplo poſtulaſſe.* Fruſtra inquam illis hæc omnia adclamaſſes. Inſuperhabito enim finis interni externique diſcrimine, neglecta bonorum ſpiritualium & temporalium diſtinctione, applicatis ad Pontificem iis, quæ Chriſtus de ſe tanquam Deo & Dei filio enunciaverat, textibus, ſummum Pontificem ſummum ſimul orbis dominum uſque proclamavere. Veluti Auguſtinus Triumphus in ſumma de poteſtate Eccleſiæ Quæſt. I. Art. 1. Alvarus Pelagius Lib. I. de Planctu Eccleſiæ cap. 13. Hoſtienſis in Cap. quod ſuper his de vot. & vot redem.

§. 90. Neque vereor, ne in demonſtranda Regiminis ſacri & civilis diſtinctione nimium fuſus eſſe videar. Etenim ab intellectu hujus ipſius diſtinctionis dictincta notio Eccleſiaſticæ poteſtatis, & tot dein facile deducenda axiomata & corollaria dependent.

CAPUT III.

De objectationibus adverſariorum, quæ in nudis aſſertis, aut fallacibus argumentis conſiſtunt.

§. 91. Opponunt I. allatos S. Scripturæ Textus partim de *directa*, non vero indirecta Imperii civilis ab Eccleſiaſtico Regimine independentia eſſe intelligendos (*a*), partim autem tantumodo commendare patientiam, quin prohibeant, ne Eccleſia mediis neceſſariis jura ſua perſequatur. (*b*).

(*a*) Deſcripſimus utique *indirectæ dependentiæ* caſum, utiadverſarii eundem poſtulant videlicet caſum ejuſmodi, quo Imperantes civiles Religionis premendæ cauſa ſua poteſtate abuntur. De opprobriis, flagellis, vinculis & ſuppliciis ultimis in Apoſtolos primoſque fideles Religionis

Criſtianæ cauſa decretis allati textus loquuntur ; ergo de indirecta independentia omnino ſunt intelligendi . Neque enim mihi exhibiturus es textum , quo Chriſtus Apoſtolos , aut aliquis Apoſtolorum fideles pro illo caſu ad patientiam hortabatur, ſi ipſis propterea , quod Regimini civili ſe immiſcuerant , quid ſuſtinendum foret. Sane & Chriſtus , *qui regnum ſuum non de hoc mundo* , *atque Cæſari quæ ſunt Cæſaris reddenda* eſſe docuit , & Apoſtoli, qui itidem *reddendum tributum cui tributum, vectigal, cui vectigal*, qui *ſive Regi tanquam præcellenti* , *ſive ducibus tanquam ab eo miſſis* , *nec non dominis etiam Dyſcolis obediendum* inculcarunt , nullam ex ſua parte hic patiendi cauſam præbere volebant.

(*b*) Commendatur ſine dubio patientia his locis ; non autem de Conſilio , ſed de præcepto. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt* , ait Paulus ad Hebræos XI. & B. Petrus Ep. I. C. II. *in hoc vocati eſtis* , *quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis* , *vobis relinquens exemplum*, *ut ſequamini veſtigia ejus* . Sine dubio etiam propterea Eccleſiæ neceſſaria jurium ſuorum perſequendorum non denegantur remedia , ſed tamen coactiones externæ non permittuntur. *Paſcite*, *qui in vobis eſt*, *gregem Dei providentes non coacte ſed ſpontanee ſecundum Deum* . B. Petri I. c. V. *voſmet ipſos in dilectione Dei ſervate exſpectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *in vitam æternam*. Ep. Cath. B. Judæ v. 21. *Nil horum timeas* , *quæ paſſurus es — Eſto fidelis uſque ad mortem*, *& dabo coronam vitæ* ; *qui habet aurem audiat*, *quid Spiritus dicat Eccleſiis*, Apoc. B. Joan. C. II. v. 10. & ſequ. *obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes*, *orationes* , *poſtulationes*, *gratiarum actiones pro omnibus hominibus* , *pro regibus & omnibus* , *qui in ſublimitate ſunt* , *ut quietam & tranquillam vitam agamus — volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus ſine ira & diſceptatione* Tim. 1. c. II. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem* , *non ſuperbum* , *non iracundum* , *non percuſſorem*, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana & eos qui contradicunt*, *arguere*. ad Tit. c. I. v. 7. & ſeq. *Prædica verbum* , *inſta opportune*, *importune*, *argue*, *obſecra* , *increpa in omni patientia & doctrina* ad Tim. II. c. IV. *Confortamini in Domino* , *& in potentia virtutis ejus*, *induite vos armaturam Dei*, *ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli*, *quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*, *ſed adverſus Principes & poteſtates*, *adverſus mundi rectores tenebrarum harum*, *contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus* , *propterea accipite armaturam Dei* , *ut poſſitis reſiſtere in die malo & in omnibus perfecti ſtare* , *ſtate ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate & induti loricam Juſtitiæ* , *& calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* , *in omnibus ſumentes ſcutum fidei*, *in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere*, *& galeam ſalutis aſſumite & gladium ſpiritus* , *quod eſt verbum Dei per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu*, *& in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione pro omnibus ſanctis* ad Epheſ. Cap. VI. Hæc ſunt illa media ad Eccleſiæ finem conſervandum neceſſaria . Neque jam urge . hæc media fore non ſufficientia, ſi crudelis imperans Eccleſiam orantem , exhortantem , arguentem & increpantem non audierit . Si Eccleſiam non audierit , *ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*. Hoc ſummum eſt & ultimum remedium , ultra quod aliud Chriſtus Matth. XVIII. v. 17. non conceſſit. Hoc ſummum & ultimum eſſe & agnovit Concilium generale Conſtantienſe ſeſſ. XXV. edicens *Eccleſia Dei non habet ultra quid agere valeat* concil. tom. XVI. p. 247. & Cæleſtinus III. cap. 10. de Judiciis , pariter confeſſus , *Eccleſia non habet ultra quid faciat*. Hoc eſt *arguere cum omni Imperio* ad Tit. c. II. v. 15. quod ex poteſtate ſolvendi & ligandi fluit , atque Eccleſiæ unice competit . Id ipſum illis in Eccleſiam crudelibus eſt *cauſa perditionis*, *vobis autem ſalutis* , *& hoc a Deo* , *quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum credatis* , *ſed ut etiam pro illo patiamini* , *idem certamen habentes*, *quale & vidiſtis in me*, *& nunc audiſtis de me* , ait Apoſt. ad Phil. c. I. Si ergo hæc media omnia nobis ſunt ſalutis, quam unice quærendam habet Eccleſia, quomodo non ſufficiunt? Vide ſupra §. 88. not. 9.

§. 92. Inſtant II. Apoſtolis primiſque fidelibus neque tantas , quæ ad coercendos Principes ſuffeciſſent , fuiſſe vires (*a*) & ſi fuiſſent etiam , roborari tunc temporis debuiſſe Chriſti & Martyrum ſanguine Eccleſiam , atque ut implerentur ſcripturæ, tanta Chriſtum voluiſſe pati. (*b*) Quæ omnis cum nunc ceſſat ratio, poſtquam adimpletæ ſunt ſcripturæ, poſtquam Eccleſia hoc , quo pollet , robur conſecuta eſt , eandem nunc potius in hoc ſe robore conſervandi omnimodam habere obligationem. Non ſecus ac cuivis , qui quidem abſque violentia poſſeſſionem nactus eſt , contra iniquos tamen adgreſſores violentis etiam , ſi aliter nequit , remediis tueri conceditur. (*c*).

(*a*) Qua-

(*a*) Quale non hoc eſt temerarium figmentum & contra ea, quæ ſacris in Literis expreſſa legimus, & contra omne, quod hiſtoricus, ſi Philoſophus ſimul ſit, non formare non poteſt judicium. Novimus profecto quæ non omnia audeat, quæ non omnia poſſit populus Religionis cujusdam fervore doctus, & utinam non triſtiſſima præteritorum temporum memoria nos de eodem convinceret. Noſtra Religio vix ac prædicari cæpta eſt, illico ſua ſe pietate immaniter commendavit. Illico Chriſtum *ſecutæ turbæ multæ* Matth. c. V. v. 25. C. XIII. v. 2. & ſpeciatim illi, quos ſaturavit panibus, *quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres fuerunt*. Matt. c. XV. v. 38. *Hæ turbæ quomodo non requirebant eum; quomodo non detinebant, ne diſcederet*. Luc. C. IV. v. 42. quomodo non intendebant, *ut raperent eum, & facerent eum Regem*. Joan. VI. v. 15. An non igitur Chriſto ſat virium fuiſſet, atque hominum qui memores tot beneficiorum & miraculorum veritate ſecuri, contra perſecutores, atque inimicos efficaciſſima contuliſſent auxilia. Quidquod ſi voluiſſet, *potuiſſet rogare patrem ſuum, & exhibuiſſet ipſi pluſquam duodecim legiones Angelorum*. Matth. XXVI, v. 52. Profecto Chriſtum neque naturalia neque ſupra naturam poſita ad religionem ſuam cogendi, ſuoſque perſecutores ſupprimendi remedia defeciſſent. Ita quoque dein Apoſtolorum tempore *augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum — — concurrebat multitudo vicinarum civitatum — Appoſitæ ſunt una die animę circiter tria millia*, alia *factus numerus credentium quinque milia*: Paucis! *Eccleſię confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie*; imo quod præſertim notes, *fiebat omni animę timor ob ſigna & prodigia, quę multa fiebant per manus Apoſtolorum in plebe*. Act. Apoſt. c. II. v. 42. & 43. III. v. 4. c. V. v. 12. &c. c. XVI. v. 5. Et tamen neque hæc multitudine, neque ſuo miraculorum dono contra ſui religioniſque perſecutores, quos claudos, cæcos, atque exanimes reddere potuiſſent, unquam utebantur! Nil dicam de integris Legionibus, qui abjectis armis Martyrium ſuſtinuere, nil de legionibus illis, quibus retinere arma licuit, quia iisdem ſuos Principes quantumvis veræ Religionis oſores ut fideles ſubditi tuiti ſunt, imo fidelitate omnes ſuos ethnicos ſuperavere commilitones.

(*b*) Novi probe *hoc totum factum eſſe, ut adimplerentur ſcripturę Prophetarum* Matth. c. XXVI. v. 54. & 56. ſed novi veluti a Chriſto id impletum, quod de ipſo ſcriptum fuerat, ita & illæ quæ de nobis ſcripta ſunt, a nobis adimplenda eſſe. *Per Patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta — — recogitate eum — — ne animis fatigemini veſtris deficientes* &c. ad Hebr. C. XII. v. 1. & ſeq. Hæc de nobis ſcripta ſunt, & ſimiles, uti ex hactenus citatis adparet, quam plurimæ aliæ de nobis ſcripturæ extant. Quomodo igitur a ſcripturis per Chriſtum adimpletis argumentari licet, eas, quæ pro nobis ſcriptę ſunt, ut adimpleamus, hoc ipſo jam non requiri. Si aſpicere jubemur in Auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, an fundamentis per Chriſti & Martyrum ſanguinem jactis ſuperſtruere nunc quidquam licebit totius edificii atque auctoris fini non reſpondens? ſi ſub initium Religionis, quod cogitari poteſt duriſſimum, his unice mediis Chriſtus Eccleſię ſuę robur dari voluit, neque in futurum quemcunque caſum media alia pręſcripſit, quomodo non ex voluntate Chriſti eadem media eodem manente fine uſque continuari debebunt, aut num illa interna externaque ſalus jam in externa *ſufficientia* conſiſtit, num per externam adverſariorum violentiam nobis adimi poteſt, & viciſſim coactionibus externis vindicetur neceſſe eſt?

(*c*) Falleris, ſi etiam in civilibus, imo ſi in juris naturalis ſtatu ea, quę ſine violentia adquiſiviſti, contra iniquos tamen adgreſſores ſemper violentis te mediis vindicare poſſe arbitraris. An non ſubinde in civitate Imperantis lex, veluti pręſcripto exemplum eſt, nos noſtris bonis patienter carere jubet? an non de jure naturę etiam majoris boni cauſa omni minoris adpetitione, taceo, violenta perſecutione, prohibemur. Deum immortalem, quę hęc jam in ipſo ſuo fonte, unde deducta eſt, falſa argumentatio, & quam infirmiter adplicata ad Eccleſiam noſtram, cui Chriſtus & Apoſtoli tam verbis quam exemplo omnem externam violentiam ſummi illius æterni boni cauſa interdixere. Interdictum eſt; nam *arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt*, ad Cor. II. c. X. v. 4. Quid igitur falſo ultra graderis ratiocinio, contra quod jam pridem monuit Apoſtolus, dum ait: *Sicut accepiſtis Chriſtum Jeſum Dominum, in ipſo ambulate. Radicati & ſuperædificati in ipſo & confirmati fide ſicut & didiciſtis abundantes in illo in gratiarum actione, & videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum — — Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis*? ad Coloſſ. c. II. Reflecte ad Effata Bernardi ſuperius §. 88. in not. g allata.

§. 93. Addunt III. ratiocinationes has : Ipſam poteſtatem Eccleſiaſticam omni profana ſuperiorem & vel ideo hanc illi neceſſario eſſe ſubjectam (*a*). Denegari non poſſe Reipublicæ Eccleſiaſticæ tanquam perfectæ media ad ſuum finem obtinendum neceſſaria; & externum Dei cultum , quæque eidem deſtinata ſunt , Eccleſiæ bona ſubinde contra violentos ac impios Principes non niſi vim vi repellendo conſervari poſſe . (*b*) Ex ipſa muneris paſtoralis natura intelligi , tantum juris & poteſtatis eſſe paſtori , ut non tantum *lupos* arcere, ſed etiam *arietes* , ſi quando cornibus gregem lædant, ab ovibus recludere queat (*c*). Denique non minus ſola etiam ratione perſpici, omnia ad finem ultimum, quem curat Eccleſia, atque adeo poteſtatem quoque civilem eo referri, ſeu quod idem eſt, in ordine ad hunc finem ſubjici debere (*d*), neque fore aliquem tam impium, qui neget, Imperantem civilem ad illam regni ſui adminiſtrationem , quæ bonum ſpirituale impedit , mutandam obligari. (*e*) Taceo concluſiones reliquas fallaces , quibus plane neque adparens aliqua vis ineſt , & contra quas illud Apoſtoli I. ad Tim. c. IV. v. 7. monitum valet , ineptas autem & aniles fabulas devita . Ejuſmodi ſane argumenta non tantum, qui dictorum Principiorum ſyſtema habet, ſed quivis naturali Logica vel modicum præditus reſolvit (*f*).

(*a*) Nullus noſtrum unquam in dubium vocavit, quin Regimen Eccleſiaſticum ita ſupremum ſit; ut ſine *reſpectu* perſonarum ipſi etiam Imperantes civiles, qui fideles ſunt, legibus ad ſalutem internam pertinentibus ſeſe ſubmittere teneantur, imo ſi non pareant, mediis a Chriſto Eccleſiæ conceſſis videlicet ſecundum illam ſolvendi ligandique poteſtatem coerceri queant. Hoc ſane ſenſu *ſeu in ſpiritualibus* Regimen Eccleſiaſticum *ſupremum* eſt. Quis autem, niſi in Deum & Rempublicam impius & omnium Logicæ Regularum oblitus , inde concludere audeat: hanc ſolum *in ſpiritualibus & ſpirituali modo ſuperiorem* Eccleſiam Imperantes Religionis offenſæ reos etiam quoad temporalia & *temporalibus* mediis coerceri jus habere? Aut quis vel ſomniare poteſt ; Regimen Eccleſiaſticum ea de cauſa , quia excellentiorem finem habet, ita ſupra omne Regimen profanum eminere, ut eidem etiam imperare poſſit. *Non igitur* ait Joannes Barclajus in Vindiciis Regum adverſus Bellarminum cap. 3. p. 167. *ſubordinata eſt Eccleſiaſticæ Poteſtas politica, cum non propter Eccleſiaſticam conſtituta ſit , ſed ad civilem concordiam ; & adipiſci ſuum finem abſque illius ope poſſit , quod ut ipſe fateris , in Ethnicis ſæpe factum: cum Eccleſiaſtica etiam abſque illa eſſe queat, ut primis revera poſt Chriſtum annis fuit; cum denique neque ad finem, neque ad eſſentiam una ad aliam ordinem dicat , ſed ſint a ſummo Deo dignitatibus , officiis , actibusque diſtinctæ* . Et ſimiliter Petrus de Marca L. III. de Concord. Sac. & Imp. cap. II. n. 10. ſcribit. *Hæc authoritas ita accipienda eſt, ut Reges in rebus humanis nec ipſius Eccleſiaſticæ poteſtatis conſortium admittant: quæ ita rebus ſpiritualibus eſt addicta , ut ſine injuria Regum res temporales attingere non poſſit . Quippe Magiſter edixit , regnum ſuum de hoc mundo non eſſe : ſe judicem ac diviſorem terrenæ hæreditatis non fuiſſe conſtitutum: docuitque Paulus, Dei militem ſe non implicare negotiis ſecularibus , ſed Myſteriorum diſpenſationi ut Chriſti miniſtrum* .

(*b*) Non diffiteor quidem: Imperantibus nullum ejus eſſe illas actiones externas , quæ *ſi civiliter indifferentes* ſunt, ſeu reipublicæ ſaluti non obſtant , cultum Dei externum conficere poſſunt, nobis ullo modo impediendi. Sed ſi impediant denique , num Eccleſiæ inde jus naſcetur Imperantes civiles externis atque Regimini profano nocivis remediis coercendi? num ideo , quia Imperantes legum atque poteſtatis ſuæ limites tranſgrediuntur , etiam Eccleſiæ poteſtatis ſuæ limites tranſgredi atque legem Chriſti omnem violentiam externam interdicentis violare licebit ? Ergone par pari referre , & perſecutoribus noſtris leges violantibus viciſſim leges violare doctrina Chriſti vel nos jubet, vel nobis indulget ſaltem. Cultus Dei externus in actionibus externis conſiſtit , & externæ actiones, abſque occaſione poni non poſſunt. Quemadmodum igitur nec ipſe Eccleſiæ fundator ejuſmodi occaſionem externis coactionibus aut quæſivit, aut jam poſſeſſam hac ratione tuitus eſt, nec Apoſtoli etiam, contrariæ potius & verbis exemplo ſui Magiſtri edocti ; ita nec nobis ejuſmodi occaſionem externam violentia quærere aut tueri licebit. Neque ſapientiſſimum numen , cui actionis omiſſionem imputat , quæ non ex culpa ſed ex ſolo occaſionis non niſi mediis illicitis comparandæ omiſſa eſt defectu. Sic dolores minuere licet ægroto medicamentis aptis, non vero ejuſmodi , quæ dolores quidem, ſed ſimul vitam adimunt, & voluntati divinæ contrarium operantur; ſic quoque Eccleſia externas tribulationes (cultum

Dei

Dei externum impedientes) ſpiritualibus remediis ut avertat, aut minuat, curare poteſt, non vero remediis ejuſmodi, quæ ſi in coactione externa conſiſtunt, principali Eccleſiæ fini atque voluntati Chriſti eo ipſo ſunt contraria. Paucis! Etiam Chriſto, etiam Apoſtolis in iis, quæ in externum Dei cultum & Eccleſiæ bonum influebant, ponebantur impedimenta; ſequere tantummodo illius, ſequere horum monita & exempla, hæc te in conſervando externo Dei cultu, in defendendo Eccleſiæ Bono minime vim vi repellendam eſſe docebunt.

(*c*) Quam cito non ſibimet ipſi contradicit, a quo quid dictum eſt ſolidis abſque principiis. Ipſi adverſarii negant Eccleſiæ ullum jus in *Principes infideles* competere. Et hic ſpirituali paſtori jus tribuunt & *lupos ſeu infideles* arcendi, & *arietes* ſeu Principes Religionis quidem conſortes, ſed ab eadem deficientes aut eidem nocentes excludendi. Mea quidem opinione lupi ſeu infideles qua tales ab Eccleſiæ & ſpiritualium Bonorum Communione jam ſemoti ſunt. Mea quoque opinione Eccleſia iis, etſi perſecutores ſint, regna adimendi facultatem non adquiſivit. Magnum, reclamant adverſarii, diſcrimen eſt. Infideles Eccleſiæ non ſubjecti ſunt, ergo Eccleſiæ nullum in hos jus eſſe poteſt. Imperantes autem, de quibus hic ſermo, per Baptiſmum Eccleſiæ ſubjiciebantur, ergo in hos Eccleſiæ Imperium competit. *Imperium ſpirituale* admitto & laudo, aliud vero etiam in baptizatos Principes neque admittere, neque laudare queo, niſi omnis Chriſti doctrina me fallat: adverte, *ſi peccaverit in te frater tuus*, non infidelis. --- *ſi Eccleſiam non audiverit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*. Non ergo ſit aliter, non a Regnorum & Bonorum temporalium ſuorum poſſeſſione ſed ſola Eccleſiæ & ſpiritualium bonorum communione, paucis! *ſicut Ethnicus & publicanus*, ſemotus. Recludatur ab omnibus, ſed modo ſpirituali; modo, qui quidem ex natura paſtoralis muneris ſed muneris ſpiritualis intelligitur. Atque dum Chriſtus diſcrimen aliud non facit, quam hoc, quod alter actu ſit Ethnicus & Publicanus, alter ſententia Eccleſiæ Ethnicus & Publicanus habeatur; qua temeritate diſtinctionem aliam comminiſceris? *hoſtis Herodes impie! Chriſtum venire quid times? non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia*: Hic ille antiquiſſimus puriſſimæ Eccleſiæ Hymnus eſt, & quis turbator Chori aliter canere præſumat?

(*d*) Omnia, neque hoc quis negat, ad finem ultimum referri debent. Omnia quoque eo ſub reſpectu, ſub quo ad ultimum finem referuntur, ſeu *in foro conſcientiæ* abſque dubio Eccleſiæ, quæ hunc finem curat, ſunt ſubjecta. Sic Eccleſia increpat in conſcientiæ foro Præfectum militum, qui dum ſolitis hos inſtituit exercitiis, uſque in maledicta, uſque in execrationes atque mille Blaſphemias prorumpit. Et quidem merito increpat, quia hoc in foro Eccleſia actiones ad æternam ſalutem minus recte determinatas arguendi, immo & mediis huic foro convenientibus puniendi jus habet. Quis autem inde deducet Eccleſiæ etiam jus eſſe, eundem Præfectum in externo foro coercendi, removendi eum intuitu Religionis a quovis militum exercitio; aut plane aliam præſcribendi methodum, quæ exercendis militibus facilior & vel ideo ad multas Blaſphemias impediendas aptior eſſet? Tantummodo iterum ad doctrinam ad Exemplum Chriſti, & Apoſtolorum reflectere, *Homo, quis me judicem conſtituit aut diviſorem ſuper vos?* ait Chriſtus Luc. XII. v. 14. quantumvis hæreditatis diviſio, quatenus in conſcientia a cohærede fieri debebat, ad ultimum finem referebatur. Et utique quidquid adverſi Chriſto, quidquid adverſi Apoſtolis accidebat, fini ultimo contrarium erat Reflecte etiam ad illud ſupra a me jam recenſitum Bernardi monitum, *in criminibus* ſeu foro interno, *non in poſſeſſionibus* ſeu foro externo *poteſtas veſtra*. -- *Habent terrena*, etſi pro foro interno ſubjecta ſint Eccleſiæ, pro foro externo *Judices ſuos & Reges & Principes terræ, quid fines alienos invaditis, quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?* Crimen igitur & peccatum circa quæcumque quidem temporalia commiſſum in foro conſcientiæ dijudicare & ſpiritualibus pœnis coercere poteſt Eccleſia, non temporalia ipſa, & poſſeſſiones auferre; ſecus peccata hominum eſſent modi adquirendi rerum dominia intuitu Eccleſiæ, & peccatores ſinguli hoc ipſo earundem rerum, in quibus deliquere, omni jure exciderent. Si autem hæc argumentatio jam reſpectu ad privatos habito non valet, quomodo adverſus Principes obtinebit? Scilicet ut ait Tertullianus in Apologetico cap. 36. *Quodcumque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam. Quod in neminem, eo forſan magis nec in ipſum, qui per Deum tantus eſt.*

(*e*) Etiam hæc objectio facili retorſione eliditur. In conſcientia tenetur herus obligatione, illam duram mutandi methodum, qua hactenus tractavit ſervum; anne autem herus per duram hanc methodum, per obligationem ejuſdem mutandæ dominio excidit? minime, juxta illud: *ſervi eſtote ſubditi dominis, etiam duris*. Sic quoque Religionis noſtræ miniſtri in conſcientia ad ſuperflua ſua Bona pauperibus diſtribuenda obligantur. Anne autem propterea a pauperibus dependentes ſunt, an pauperes hæc bona externis coactionibus vindicare, an clericos inde violenter dejicere queunt. Profecto non ſtatim ab eo, cui in conſcientia obligor, etiam dependens reddor. Et ne in ullo a Chriſti & Apoſtolorum verbis atque factis diſce-

ſce-

fœdamus, adſer mihi eorum verba, adſer quæſo facta, arrogantia indirectam poteſtatem in eos, qui ad Chriſtum & Apoſtolos melius tractandos in conſcientia fuerant obligati.

(*f*) Quis ſane vel modice ſapiens refutatorem advocabit adverſus veterem gloſſæ fabricatorem, qui ad illud dictum Innocentii III. *Tantam eſſe inter Pontifices & Reges differentiam, quanta eſt inter ſolem & lunam*, ita commentatur, *cum terra ſit ſepties major luna, ſol autem octies major terra: reſtat ergo, ut pontificatus dignitas quadragies ſepties ſit major regali dignitate*. Quis movebitur ratiocinio illo: *Reges & Pontifices, clerici & laici non faciunt duas reſpublicas, ſed unam, ideſt unam Eccleſiam. Sumus enim omnes unum Corpus; Rom. V. 5. & I. ad Cor. VII. v. 13. ſed in omni corpore membra ſunt connexa & dependentia unum ab alio, & non recte adſeritur ſpiritualia dependere a temporalibus, ergo temporalia a ſpiritualibus pendent, illiſque ſubjiciuntur*. An non merito exclamat Barclajus: *Equa anus tam excors eſt, ut neſciat non valere hanc conſecutionem: ſunt membra unius corporis, ergo unum ab altero pendet. Nam neque pes a pede neque brachium a brachio, neque humerus ab humero pendet &c.* Sed dicant porro adverſarii, de quo corpore loquatur Apoſtolus? Num de temporali & profano? Si ſic, tunc Luſitania, Hiſpania, Gallia, Italia, Germania & Hungaria una erunt reſpublica, quod nec Apoſtolus nec alius adhuc ſomniavit. Mihi quidem omnibuſque hunc textum explanantibus videtur, Apoſtolum loqui de corpore myſtico, quod omnes fideles tanquam fideles & in unam Eccleſiam uniti conſtituimus. Hoc ergo in ſenſu ſane ſumus omnes unum corpus, omnes poteſtati Eccleſiaſticæ in Spiritualibus ſubjecti. Quomodo autem inde inferre licet, ergo omnes reſpublicæ, qua reſpublicæ, ſunt unum corpus, & etiam in temporalibus Regimini Eccleſiaſtico ſubjectæ? & quomodo hoc cum illo ipſorum adverſariorum axiomate concordat, *quo Clericos in Republica a laicis ſeparatum Corpus conficere* defendunt. Formemus potius ſecundum utriuſque poteſtatis diſtinctionem in ratione & Evangelio fundatum hoc ratiocinium: *ſicut nos cum Clericis ſumus omnes unum Corpus in ſpiritualibus, & ſpirituali Eccleſiæ poteſtati ſubjecti, ita etiam Clerici nobiſcum in eadem civitate viventes, nobiſcum ſunt unum Corpus in civilibus, & civili Reipublicæ poteſtati ſubjecti*. Sic ſemetipſum Apoſtolus *membrum corporis Chriſti, in quod baptizati ſumus*, & ſic ſemet ipſum ſimul *membrum Reipublicæ, videlicet ad civium Romanorum Jura & Cæſaris tribunal* provocando numeravit. I. ad Cor. XII. 13. ad Epheſios IV. 4. ad Romanos XII. 5. Act. Apoſtolorum XXII. 25. & ſeq. XXV. 10. & ſeq.

CAPUT IV.

De iis, quæ adverſarii ex Locis ſacræ Scripturæ prorſus non ad Eccleſiæ, & SS. Patrum mentem expoſitis, pro ſua ſententia extorquere volunt.

§. 94. Provocant IV. ad utriuſque teſtamenti ſacrum codicem, atque pluribus in locis præſidium ſibi apertum eſſe exiſtimant. Et quidem ex veteri teſtamento adducunt præcipue Deut. C. 17. v. 15. ubi prohibetur populus eligere Regem, qui non ſit de fratribus ſuis (*a*), deinde II. Paralip. c. 26. ubi Ozias ſacerdotale uſurpans officium Lepra percuſſus, a ſacerdotibus ejectus, & jam non ipſe, ſed filius ejus Ioatham populum judicaſſe refertur (*b*). Porro IV. Reg. cap. XI. & II. Paralip. c. 23. ubi præcipiente Jojada ſacerdote Athalia ob Tyrannidem & idololatriam occiſa & Joas Rex Juda conſtitutus legitur (*c*), denique V. illud Jeremiæ I. 10. *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna* &c. (*d*).

(*a*) Qualis quæſo iterum hæc concluſio? Judæis non licuit eligere Regem niſi de Fratribus ſuis, ergo Chriſtiani ad electum ſuum Regem, qui de fratrum ſeu fidelium numero exiit, throno dejiciendum & ſubjectionem ei denegandam obligantur. Cur ipſi Judæi, ipſi Prophetæ ſtante hac ſibi promulgata lege illos Babylonicos & Medos, Perſas & Græcos, Romanoſque Principes ſumma veneratione, ſumma ſubmiſſione colebant? Cur ipſe Chriſtus Cæſari, quæ ſunt Cæſaris reddi juſſit, & Pilato adſtitit judicandus? Cur Paulus ad Cæſarem provocavit, cur idem Apoſtolus, cur Apoſtoli reliqui Regibus atque ducibus, licet ethnicis, licet duris, obedientiam & præſtabant, & ab omnibus ſubditis, ut præſtetur, tam frequenter quam enixe hortabantur? Siccine verus Religionis Zelus, qui in ejuſdem propagationem tendere debet, conſtitutus eſt? Siccine Principes ad Religionem in ſuis terris tollerandam animantur, ſi indirecte ob hanc Religionem & ab ejus conſortibus violentiam

atque

atque Regnorum ſuorum amiſſionem pertimeſcendam habent? Viden, quomodo omnem rationis revelationiſque vocem contemnant adverſarii, dum in profundum veniunt. Aliter Chryſoſtomus in hom. 30. ſuper Epiſt. ad Roman. hæc verba: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Ita enim ibidem longe contrariam inſtituit ratiocinationem *Chriſtus* ait, *non ad everſionem communis politiæ leges ſuas induxit, ſed ad emendationem, docens, ne ſuperflua & inutilia bella ſuſcipiantur.* His quoque verbis: *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, magis Apoſtolus Principes ad piam religionem & fideles ad obedientiam alliciebat. Etenim rumor undique circumferebatur, quo Apoſtoli ut ſeditioſi, & novarum rerum auctores incuſabantur, qui ad legum communium everſionem omnia facerent, & dicerent. Cum itaque oſtendes communem Dominum noſtrum ſuis omnibus præcipere magiſtratibus obedire, eorum, qui Apoſtolos, ut novatores traducebant, ora obſtrues, & cum majori fiducia pro veritatis dogmatibus loqueris — Deus id exigit, ut creatus ab ipſo Princeps vires ſuas habeat — quod ſi obſervaveris Chriſtiane, ipſe Princeps eo te magis amabit, Deumque tuum, etiam ſi incredulus fuerit, hoc nomine glorificabit.*

(*b*) Cur quæſo Sacerdotes Oziam, ſimul ac is thuribulum adprehendit, non e templo ejecere, ſi ordinaria ipſis cum Regibus impiis ita agendi facultas fuerat? Nonne orta Lepra atque adeo manifeſto illo per ſupremum Numen dato ſigno demum excluſere eum ex *templo* & ex *communione*, qua Leproſus ſecundum veteris legis Sanctiones frui non poterat. Sed & hæc tantum legimus: habitaſſe dein Oziam lepræ ſuæ cauſa in domo privata, atque hinc a Joatha filio ejus interim rectam fuiſſe domum *Regis* & judicatum populum; at Oziam regni ſui jure prorſus exutum & jam hoc vivente Joatham verum Regem a Sacerdotibus factum eſſe non legimus. Scilicet poſtquam *dormivit Ozias cum Patribus ſuis*, ſubinde demum *regnavit Joatha Filius ejus pro eo* v. 33. Nullum itaque ab Oziæ exemplo aliud valebit argumentum, quam hoc Typicum, ſicuti Deus in veteri non tantum ad Religionem ſed rempublicam quoque hebræorum directa lege Leproſos e communione ejici juſſit, ita ceſſante licet theocratia civili tamen etiam in lege nova juſſit e *communione fidelium* ejici eos, qui ſpirituali lepra obducti Eccleſiam non audierint; veluti autem nec illa quidem ſtante veteri lege leproſus utpote per infirmitatem ſuam tantummodo regiminis exercitio impeditus, ipſo ſui regni jure excidebat, ita multo minus hoc excidet ille, qui in nova lege non niſi *e communione Fidelium* ejici jubetur, Conf. Boſſuet P. II. L. V. cap. 12. Barclajum l. c. cap. 37. & ſufficiat, quod eidem Oziæ exemplo laudatus Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis l. c. ſubjungat hanc quæſtionem *Ozias Rex, qui ſacerdotale uſurpat officium lepra percutitur: & ſi ſacerdos arma corripit, quod utique laicorum eſt, quid meretur?*

(*c*) Nec præceptum Jojadæ Sacerdotis, nec Tyrannis & idololatria Athaliæ eam occidendi Titulus fuerat. Uſurpabat illa regnum interfecto ſemine regio uſque ad Joam Ochoziæ Filium clam ſubductum. Hic ergo legitimus regni hæres erat, hunc *regnare debere locutus eſt dominus ſuper filios David, cum hoc omnis multitudo pactum iniit*, & ſacerdos Jojadas nil præcepit niſi ea, quæ ad executionem expreſſæ Divinæ voluntatis atque ad defendendum Regem legitimum contra uſurpatorem tanquam ſubditus fidelis, & ob ipſum ſuum ſacerdotium præcipua inter cives authoritate pollens præcipere & diſponere debebat, Num ergo inde pro *poteſtate Eccleſiaſtica* repeti poterit Titulus *Regem legitimum* religionis cauſa ſuo regno privandi? conf. Boſſuet l. c. cap. 11. & Barclajum cap. 38. Si alia ex veteri teſtamento exempla adducantur, ſemper ad ſtatum hebraicæ reipublicæ ejuſque leges judiciales reſpice. Erat ea, ut diximus theocratia, atque ſupremum Numen, tanquam Rector ipſius civitatis hebraicæ multa pro ejuſdem bono & ſingulari ſtatu ſpeciatim conſtituit. Multa quoque ſupremum Numen extra ordinem verbis expreſſis decrevit ac per ſacerdotes executus eſt. Ab hiſce omnibus igitur nunc in lege nova ad ejuſdem ſacerdotes, ad noſtrarum Rerum publicarum adjuncta, & ad chriſtianum religionis conſervandæ ac propagandæ modum non quadrat concluſio. Quod utinam & in ſcholarum & in templorum cathedris ſemper fuiſſet obſervatum. Conf. meus ordo Princip. Juriſprudent. Eccleſiaſt. Par. I. §. 85.

(*d*) Quomodo, & qua in linea Poteſtas Eccleſiaſtica ſuper gentes ſit conſtituta, jam ſupra §. 93. not. a explicavimus. Verum interloquatur hic denuo Auguſtinus: *Audite Judæi; ait, & gentes! Audite omnia regna terrena! non impedio dominatum veſtrum in hoc mundo, venite ad regnum, quod non eſt de hoc mundo, venite credendo & nolite ſævire metuendo. Dixit quidem Propheta* EGO AUTEM CONSTITUTUS SUM REX AB EO SUPER SION MONTEM SANCTUM EJUS; *ſed Sion illa & mons ille non eſt de hoc mundo.* Tract. 115. n. 2. ſi ergo Prophetæ verba, ad ipſum ſalvatorem relata temporale Regnum non indicant, quomodo tale quid indicabunt relata ad Eccleſiæ miniſtros? Conf. etiam S. Chryſoſt. hom. 83. & judica dein ipſe de Interpretatione ſcripturarum quam faciunt adverſarii,

po-

potius privatum ſuum ſpiritum vel Bullam Joannis XXII. quæ incipit *Vir Reprobus* apud Rainald. ad an. 1329. n. 55. quam Sanctorum Patrum auctoritatem ſecuti.

§. 95. In Evangelio ipſo captant ſibi Matth. Cap. X. v. 34. ubi legitur: *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium* (*a*): porro Luc. XXII. v. 38. ubi Chriſtus dicentibus Apoſtolis: *ecce duo gladii hic*, non reſpondit *nimis*, ſed *ſatis eſt* (*b*) nec non Joan. II. v. 13. ſeq. ubi de Salvatore noſtro dicitur: *invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas & numularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit* (*c*). Quæ loca ipſorum opinione premant nos tanto magis, quanto certius eſt, gladios & flagella inter media ſpiritualia referri non poſſe. Illud autem cumprimis & unum inſtar omnium contra nos eſſe exiſtimant, quod Salvator Matth. XXVIII. v. 18. enuncians ſibi datam eſſe *omnem poteſtatem in cœlo & in terra*, etiam Apoſtolos cum plena *ligandi & ſolvendi* poteſtate conſtituerit (*d*).

(*a*) Non facilius ad captatos textus, quam ex toto ſcripturæ contextu reſpondetur. Enimvero qui ſequentia legit, an non intelligit: Chriſtum haudquaquam præcipere, ut homo adverſus patrem ſuum, filia adverſus matrem ſuam, & nurus adverſus ſocrum ſuam arma arripiat? potius fore, ait, Salvator, ut hic illeve Pater a filio, hic illeve filius a Patre propter nomen Chriſti gladium & perſecutionem patiatur, atque cum dicit ſe indignum, qui non accipit crucem ſuam & qui Patrem & matrem ſuam plus quam ſalvatorem ſuum diligit.

(*b*) Ut ipſe doctiſſimus Bellarminus ex Theophilacto & aliis Patribus advertit, nulla hoc loco fit mentio de gladio ſpirituali, & temporali Pontificis, ſed ſolum Dominus illis verbis admonere voluit diſcipulos, tempore paſſionis ſuæ in iis anguſtiis & metu ipſos futuros eſſe, in quibus eſſe ſolent, qui tunicam vendunt, & emunt gladium. Et hoc quidem advertit Bellarminus, dum poteſtatem profanam a poteſtate Eccleſiaſtica non *directe* dependere demonſtravit. Quid putas, num male ſupra Bellarminum defendi, num a vero quid alienum dixi, dum aſſerui, eum neque de indirecta dependentia id, quod Romanis ſcripſerat, ſenſiſſe. Ut dixiſſe nempe quid videatur, ut argumentum qualecunque demum ſaltem e typis emineat, reipſa doctioribus confidenter relicta, eumdem locum, quem nihil omnino de gladio ſpirituali & temporali Pontificis continere paulo ante confeſſus eſt, nunc pro indirecto pontificis temporali gladio adhibuit. Novi quidem ad eumdem locum *alludere* Bernardum, dum ad Eugenium Pontificem de gladio temporali ita ſcribit: qui *tuum negat*, *non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis ſic: converte gladium tuum in vaginam, tuus ergo & ipſe tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus, alioquin ſi nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo hic, non reſpondiſſet Dominus: ſatis eſt, ſed nimis eſt.* Verum quid alluſio hæc probat, dum in ipſo ſacræ ſcripturæ citato textu de temporali gladio nec ſermo eſt, dum ipſe Bernardus nil aliud evincere intendit, quam ut ſpiritualis gladius ab Eccleſia, temporalis a Principibus pro defendenda Eccleſia exerceatur, ſimul ac Pontifex eum vel nutu de ſimilis defenſionis neceſſitate reddiderit certiorem. Id quod comprobant illi loco ſubjuncta Bernardi verba. *Uterque ergo Eccleſiæ & ſpiritualis gladius & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus. Ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum ſacerdotis & juſſum Imperatoris.* Neque puto: hoc valere argumentum: *Deus imperantibus civilibus temporalem gladium ſimul in hunc finem dedit, ut ipſius gloriam atque Religionem ſine mora vel ad nutum ſacerdotis neceſſitatem indicantis defendant: ergo Pontifex ad eundem gladium contra Imperantes impios ſtringendum jus habet.* Sed juvat addere verba etiam aliorum Catholicorum interpretum, quorum primus ſit Joannes Major Pariſienſis, Doctor L. IX. Sententiarum Diſt. 24. ita ſcribens: *illud de duobus gladiis eſt hyperbolice dictum a S. Bernardo; quare ex ipſo non poteſt trahi efficax argumentum. Secundo ipſe ponit* FORSITAN *& hoc ſufficit pro toto. Tertio dicitur, quod Papa unum gladium habet actu, ſcilicet ſpiritualem, cum interdicit & excommunicat: alium habet in habitu, id eſt poteſt rogare Principes terrenos, quatenus ſint ſibi ſubſidio.* Dein Joannes Calmet Benedictinus Helvetus, qui Tom. VII. p. 629. ait: *quidam duos hoſce gladios de temporali atque ſpirituali Eccleſiæ poteſtate intellexerunt*, ſed *hæc explicatio mere allegorica eſt, eamque poteſtatem minime probat.* Porro Ægydius Roman. Ordin. Erem. S. Auguſtini Archiep. Bituricenſis in Tract. contra uſurpatio-

tiones Boniſacii VIII. art. 4. inquiens: *ſi concedamus : duos gladios ſignificare duas in Eccleſia poteſtates , dicemus quod re vera duæ ſunt; ſed unam habent terreni Principes, & aliam habet ſummus Pontifex: non enim dicuntur duo gladii fuiſſe Petro , ſed unus tantum*; denique Joannes Pariſinus Ord. Prædic. qui de poteſtate Regia & Papali cap. X. ſcribit: *Dominus Papa non habet utrumque gladium , nec juriſdictionem in temporalibus , niſi ſibi concedatur a Principe ex devotione . Et hoc dicunt expoſitores Juris canonici. Quærit enim Hoſtienſis* ad cap. vergentis 20. de hæreticis, *ubi mandat Dominus Papa hæreticorum confiſcari bona* QUID AD PAPAM DE TEMPORALIBUS? *& reſpondet cum domino ſuo Innocentio*, QUOD REVERA NIHIL AD EUM , SED HOC FECIT DE ASSENSU IMPERATORIS , QUI TUM PADUÆ PRÆSENS CONCESSIT. & Cap. XI. *dictum Bernardi. magis eſt contra eos quam pro ipſis: quia ſignanter dicit , quod Papa materialem gladium habet in nutu ; quia ubi innuit Papa propter neceſſitatem boni ſpiritualis , Imperator debet exercere juriſdictionem ſecularis poteſtatis . Si tamen nolit , vel non videtur ſibi expedire , Papa non habet aliud facere , quia non habet gladium in juſſu ſed Imperator tantum.* conſ. etiam Lochſtein loc. cit. Par. II. c. 3. 3. §.

(*c*) Si quiſcumque Eccleſiæ miniſter e domo ſua aut Patris ſui ejecerit quemvis ibidem petulanter ſeſe gerentem ; arbitror illum jure ſuo domeſtico , non poteſtate Eccleſiaſtica eſſe uſum . Imo non ſacro ordine, non Juriſdictione Eccleſiaſtica opus erit, ſed ſufficiet demandata cura Eccleſiæ , ut ex ea vel garrientes, taceo vendentes , expellantur . Per hoc ergo exemplum ſententiæ adverſariorum nil accedit , dum non quæſtio eſt , an petulantes ex templo , ſed an generatim homines ex cauſa religionis ſuis poſſeſſionibus aut regnis a poteſtate Eccleſiaſtica pelli queant . Scilicet non ſtrinxit Chriſtus flagellum adverſus illos vendentes, ut oves & boves & menſas numulariorum & eorundem pecunias ſuas faceret . Non flagello concuſſit tamdiu, donec ii meliores notiones de Religione , & reverentia erga templum etiam extra illud manifeſtarent . Sed præterea etiam id certum eſt, hunc Chriſti actum inter opera ejus manifeſtatæ omnipotentiæ & miracula pertinere, cum ſcilicet ſolus & unicus tantæ protervorum hominum copiæ ejiciendæ potens ac terribilis fuerit . Et denique totum hoc exemplum adverſarii non quæſo moveant inde, quo proprie pertinet. Quo autem pertineat, Cl. Van-Eſpen in ſchol. ad can. 76. Trull. ſat clare exponit his verbis : *hujus canonis ſcopus eſt rejicere a locis ſacris omnes profanas actiones , præſertim autem quæ quæſtum & negotiationem ſapiunt , ut domus Patris cœleſtis ſit domus orationis & non negotiationis . Porro cum canon alludat ad factum Chriſti ejicientis ementes & vendentes in templo ; non obſcure innuit etiam ad ea*, QUÆ SACRIFICIUM AUT ECCLESIÆ USUM SPECTARE POSSENT , *hanc prohibitionem extendi : cum teſte venerabili Beda , quæ in templo Jeroſolymitano vendebantur , & a Chriſto ejiciebantur , ad uſum ſacrificiorum illius temporis pertinerent . Unde S. Carolus in Synodo ſua provinciali I. p. 2. cap. 57. ſtatuit: Ne clericus aut alius quivis in Eccleſiis earumve cæmeterio , atrio , veſtibulo, aut porticu foribus , quidquam venale exponat , ne ſi ad uſum quidem ſacrificii , vel Eccleſiæ futurum ſit . Idem iiſdem verbis habet ſynodus Aquenſis anni 1585. pluresque aliæ ſynodi . Porro nulla negotiatio directius ſanctitati locorum ſacrorum opponitur, nullaque oculos divinæ Majeſtatis magis offendit , quam ſacrilega illa , qua ſacerdotes & miniſtri altaris de Religionis myſteriis , & rebus ad cultum Dei ſpectantibus mercantur , nec Dei gloriam & proximi ſalutem , ſed lucrum & temporalia commoda quærunt . Igitur hujuſmodi mercatura & mercatores ex Eccleſiis præcipue eſſent expellendi ; nec dubium , quin Chriſtus in ea de templo ementium & vendentium ejectione præcipue ſimiles ſacrilegos mercatores præ oculis habuerit .* Conf etiam Epiſc. & Princip. Paſſav. Comitis de Thun' IV. Evangeliſtarum & Actorum Apoſtol. Verſionem Germanicam 1763. pag. 424. ad v. 15. cap. II. S. Joan.

(*d*) Sub *omni illa poteſtate* qualem intellexerit Salvator , ipſe declaravit Jo. XVII. his verbis : *ſicut dediſti eis poteſtatem omnis carnis , ut omne , quod dediſti ei , det eis vitam æternam . Hæc eſt autem vita æterna , ut cognoſcant te ſolum Deum verum , & quem miſiſti Jeſum Chriſtum ---- Ego dedi eis ſermonem tuum , & mundus eos odio habuit , quia non ſunt de mundo ſicut & ego non ſum de mundo . Non rogo , ut tollas eos de mundo , ſed ut ſerves eos a malo .* Quidquod jam ſubjuncta concluſio præmiſſæ poteſtatis naturam explicet : *euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti , docentes eos ſervare omnia , quæcunque mandavi vobis ---- Accipite Spiritum ſanctum , quorum remiſeritis peccata remittuntur eis , & quorum retinueritis retenta ſunt .* Baptizare igitur , prædicare Evangelium & Chriſti mandata , inter quæ nullum de Regum depoſitione & adhibendis mediis temporalibus extat , remittere peccata vel retinere , prouti ſalus animarum exigit , & nil aliud illa poteſtare ligandi & ſol-

ſolvendi, quæ Apoſtolis æqualiter conceſſa eſt, continetur. Atque hinc, ut Ægydius Romanus ait l. c. art. 5. ſub finem: *Papa nec ſuper humana corpora nec ſuper res corporales poteſtatem habet; ſed ſolummodo ligandi animas & ſolvendi.*

§. 96. Denique objiciunt ex Actis Apoſtolorum Cap. V. ubi Ananias & Saphira ob fraudem, tantum in pretio agri commiſſam coram Petro morte puniuntur, (*a*) atque ex I. ad Cor. tam Cap. 6. ubi dicitur: *audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos & non apud ſanctos -- neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſecularia? ſecularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* (*b*) Quam c. 7. ubi Apoſtolus plane conjugem ad Chriſti ſacra converſum a conſortio & jugo conjugis in infidelitate permanentis & non ſine injuria cohabitare volentis liberum pronunciat. (*c*) Ex quibus inferunt competere Eccleſiæ ſubinde gladium temporalem; & ſubditos ab Imperio Principis infidelis vel hæretici facti, per Eccleſiam, quæ de infidelitate & hæreſi judicat (*d*) liberos pronunciari non tantum poſſe, (*e*) ſed debere etiam, cum tolerando infidelem aut hæreticum Regem bonum religionis manifeſto exponatur periculo (*f*); cum hunc vel illum Regem habere juris tantum humani, & proinde hoc jus Religionis conſervationi, quæ jure divino nititur, cedat neceſſe ſit (*g*).

(*a*) In toto Ananiæ & Saphiræ exemplo nihil pro adverſariis deprehendo. Etenim S. Petrus & Apoſtoli neminem cogebant, ut temporalia ſua Eccleſiæ ſubjiceret. *Nonne enim* dicit ipſe S. Petrus, *manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat poteſtate?* Deinde non a S. Petro aliove Apoſtolo aut eorundem juſſu illos mactatos eſſe legimus. Miraculo contigit, ut in fraudis ſuæ pœnam conciderent & expirarent. Miracula ejuſmodi porro fieri poſſe, nemo negabit. Verum non quæritur hic, quid per miraculum, ſed quid per Eccleſiæ poteſtatem citra miraculum fieri queat. Atque igitur non video, quomodo miraculum illud opitulati poſſit iis, qui ejuſmodi miraculis Deo relinquendis non adquieſcentes ex poteſtate Eccleſiæ propria violentiam & media temporalia adverſus Principes quoque adhiberi poſſe docuerunt.

(*b*) Reſpondet ad hunc locum divus Thomas, cujus Doctrina, pietas atque ſinceritas auctoritatem facit profecto illa adverſariorum hujus loci interpretum longe majorem, ſimulque aliis ſcripturæ locis magis exæquatam. *Dicendum*, inquit, *quod Apoſtolus non prohibet, quin fideles ſub infidelibus Principibus conſtituti in eorum judicio compareant, ſi vocentur, hoc enim eſſet contra ſubjectionem, quę debetur Principibus; ſed prohibet, quod fideles non eligant voluntarie infidelium judicium.* Nimirum ut coram *arbitris fidelibus* potius cauſas ſuas componant & litibus ſuis ſcandalum non præbeant gentilibus; id, nil aliud hoc loco Apoſtolus inculcat. *Ad Præſides & ad Reges ducemini* ait Chriſtus Math. C. X. v. 13. *Subditi eſtote omni humanę creaturę propter Deum, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive ducibus tamquam ab eo miſſis* ait B. Petrus. Ipſe Apoſtolus locis plurimis jam a me citatis, idem docuit, idem egit. Quomodo igitur Chriſto atque ſibimet ipſi hic contradicere potuiſſet? Non perviderunt adverſarii differentiam inter *judicare ſecularia*, & *judicare ſeculariter*.

(*c*) Si matrimonium a duobus fidelibus contractum eſt, & conjugum alter ad infidelium ſacra tranſit, conjux alter in fide remanens matrimonii vinculo non ſolvitur. Probat igitur hoc ipſum pro re noſtra, videlicet fidelem ſubditum, cujus Princeps ad infidelium ſacra tranſit, propterea a ſubjectionis vinculo non liberari; probat quoque nec eum liberari ſubditum, cujus Princeps ſeſe hæreticis adſociavit. Hæreticorum enim matrimonia plane nec verbo hic tangit Apoſtolus. Fortaſſis autem quid contra nos paritas ſaltem eo in caſu probat, quo ſubditus Religionem Chriſti amplectitur, Imperans autem non tantum in infidelitate permanet, ſed etiam Proſelytum injuriis perſequitur. Verum neque id mihi perſuadebis, donec non paritatem adeſſe mihi antea commonſtraveris, ſeu ut paucis dicam, quia paritas non adeſt, id mihi nunquam perſuadebis. De matrimonio infidelium loquitur Apoſtolus. Edic qualis hæc ſit ſocietas. Æqualem eam eſſe utique non inficiaberis. Concedes porro jure naturali quamlibet æqualem ſocietatem inter alias cauſas tum quoque ſolvi, quando ſociorum unus ab altero læditur, & quando hic ſocius læſionem ſuam non aliter, quam ſocium lædentem derelinquendo avertere poteſt. Cur enim æqualis contra æqualem lædentem hac ratione, ſi alia lenior non ſupereſt, ſe tueri non poſſet? Vide cauſam, cur Apoſtolus eo in caſu, quo pars in infidelitate remanens, partem fidelem lædit, eorum matrimonium,

quod

quod naturalis juris atque adeo diſſolubile eſt, diſſolvi ſinat. Compara nunc ſocietatem, quæ imperantem inter & ſubditum intercedit, anne ſocietas hæc itidem æqualis? Anne ex natura hujus ſocietatis, ex natura ſubjectionis pacto promiſſæ lædenti Principi reſiſtendi & hoc ſubjectionis vinculum diſſolvendi facultas intelligitur? Noſcens optime Paulus opus naturalis legis inſcriptum cordibus, noſcens etiam poſitivam ſui magiſtri legem, tam parum hoc in textu de Imperantibus cogitavit, quam recte cogitavit illis in locis, in quibus ipſum ab illis, quibus ſubjectus erat, graviſſimas perſecutiones perpeſſum, a ſubjectione tamen non receſſiſſe legimus, in quibus quoque fideles, ut ſubditi ſint; non, ut recedant, hortatur.

(*d*) Judicat de infidelitate & hæreſi Eccleſia, ſed eum in finem judicat, ut, qui alterutrius reus eſt, a fidelium communione, non vero a Regnorum & bonorum ſuorum poſſeſſione excluſus eſſe noſcatur. A tali in Principum temporalia ſe extendente judicio quam alienam longe doctrinam ſuggerant Patres, exemplo ſit S. Ambroſius, qui in Apol. in Dav. I. cap. 10. num. 51. ad illa verba Davidis: *Tibi ſoli peccavi*, inquit: *Rex utique erat, nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt reges a vinculis delictorum, neque ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti ſub Imperii poteſtate, homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius* & S. Gregorius Turonenſis, qui L. IV. Hiſt. Gall. c. 19. ſcribit. *Si quis de nobis o Rex! Juſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, a te corrigi poteſt: ſi vero tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim Tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam*. Conf. Car. Argentreî Epiſc. Tutelenſis in Collection. Judiciorum Tom. II. P. 2. pag. 28. & Widringtoni Apolog. pro juribus Principum apud Goldaſtum Tom. III. pag. 393.

(*e*) Nec quidem eo in caſu, quo imperans ſub *clauſula commiſſoria* ſeu ſub-conditione perdendi Regni, ſi infidelis aut hæreticus, futurus ſit, thronum conſcendit, Eccleſia de infidelitate, aut Hæreſi judicans eum *indirecte* throno dejicit; veluti medicus, qui fortaſſis de cujuſdam morbi periculo atque ſtatu unicus judicare poteſt, propterea neque indirecta cauſa eſt, quod ægrotus lecto adfixus jaceat. Ipſe Imperans illa clauſula & conditione Regno & omni ulterioris Regiminis Juri pro hoc caſu renunciavit, ipſe momento ſuæ defectionis Regia ſe poteſtate exuit.

(*f*) Exponere Religionem periculo peccatum eſt, ergo ſi infidelem Regem tolerantes ſubditi Religionem exponunt periculo, blaſphema hæc erit concluſio, Chriſtum & Apoſtolos, qui, ut ſupra oſtendi, tam naturales quam ſupra naturam poſitas vires, Regibus infidelibus removendis pares habebant, eoſdem tamen veneratione colebant ac obedientia, primos omnium graviſſime peccaſſe. Tam abſurda corollaria facile vitat is, qui ſaniora præſtruit axiomata. Equidem exponere Religionem periculo, eſt ponere actiones, ex quibus malum Religioni imminet, aut per me licet etiam omittere actiones, quæ ad conſervandam Religionem poni poterant & debebant. Perquire modo, num tolerantia Regum infidelium, obedientia iiſdem in civilibus detrimento ex natura ſua connexionem habent; perquire, num ad Religionem conſervandam, quam nulla externa vis menti noſtræ patientia ac fiducia in Deum firmatæ adimet, actiones violentæ neceſſario poni debeant, ac ſtante ſubjectionis pacto & immutabili naturali lege poſſint etiam. Hoc ſane pactum, hanc legem parte una; parte altera Religionis finem atque naturam reſpexere Chriſtus & Apoſtoli, & ſpeciatim hac de cauſa non tantum ſubditos Regibus, ſed etiam, licet minus vinculum adſit, ſervos dominis duris ſubeſſe & non reſiſtere juſſit Petrus.

(*g*) Rectius diſcurrit Divus Thomas: *ſubditi eſtote omni humanæ Creaturæ propter Deum, ſive regi tanquam præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis; eſt ergo contra* Jus divinum *prohibere, quod ejus judicio non ſtetur, ſi ſit infidelis*. Id quidem verum: iis in caſibus, & civitatibus, in quibus electio obtinet, a votis jus ſuffragii habentium dependere, num hunc vel illum Regem velint; anne autem propterea juris humani eſt electo Regi obedientiam præſtare? Anne juris humani, a conjuge non recedere, quia antea a meo arbitrio dependebat hanc vel illam conjugem ducere? Obligatio, quæ ratione & ex natura pacti innoteſcit, quæ in ſacris literis confirmatur, & adeo inculcatur, profecto non juris humani, ſed divini eſt, neque opus eſt, ut Religionis cedat conſervationi, dum ſimul obtineri poſſe abunde demonſtravimus.

CAPUT V.

De Refugio adverſariorum ad ſententias quorundam Conciliorum & ad Canones ac facta quorundam Pontificum.

§. 97. Extremum V. refugium adverſarii ad ſententias quorundam Conciliorum; & ad canones ac facta quorundam Pontificum; imo ad fictiones tam factorum ejuſmodi plurium; quam variorum titulorum, qui omnia illa facta cohoneſtare deberent, inaniter ſumunt.

§. 98. Adſuerunt videlicet ſententias complures conciliorum Lateran. III. Lateran. IV. Lateran. V. Conſtantienſis & Tridentini (*a*) in quibus contra Imperatores, Reges alioſque territoriorum locorumve dominos pœnæ temporales ſunt ſtabilitæ (*b*).

(*a*) Conf. Anton. Charles L. VII. de libert. Eccleſ. Gallicanæ cap. 5. Tom. II. pag. 16. & ſequ.

(*b*) Si adverſarii nobis non oſtendant, a concilio aliquo definitum eſſe fide divina credi debere, quod Reges & Principes exigente ratione Eccleſiæ per conceſſam huic a Chriſto poteſtatem ſuis temporalibus privari poſſint, incaſſum nobiſcum certant. Enimvero ſententiæ conciliorum nobis tam bene ac ipſis notæ ſunt, ſed eædem ſententiæ nos tanto minus morantur, quo magis ad rationem, qua probatæ ſunt, adtendimus. Quæ quidem contra minores territoriorum locorumve dominos ſancita ſunt, ea vel expreſſo vel tacito ipſorum ſummorum Principum conſenſu ſancita fuiſſe dicere poſſumus. Id quod etiam Rogerius Baco Minorita, & celeberrimus Theologus inſinuat apud Argentreum in collectione Judiciorum Tom. II. P. II. p. 217. dum ait, *Papa aliique Prelati Eccleſię de jure divino poſſunt punire delinquentes pœnis ſpiritualibus*; *at vero quoad inflictionem pœnarum temporalium ſolum hoc poſſunt facere, quantum illis a Regibus & Principibus temporalibus permittitur*, & Joannes Pariſinus Ord. Prædic. de Poteſtate Regia & Papali idem ſcribit. Cap. XVIII. Quod autem ad illa adtinet, quæ contra ſummos Principes in conciliis cum temporali ſanctione emanarunt, ad ea ſufficiet nobis dicere poſſe: Nullo tamen in Concilio ab Eccleſia inter dogmata & mores ad ſalutem æternam neceſſarios relatum fuiſſe, quod ſummi Principes per Eccleſiaſticam poteſtatem regnis ſuis privari & pœnis temporalibus coerceri queant. Hoc nempe reſponſo ſeſe etiam tuetur Jacobus Benignus Boſſuet, dum L. III. Cap. 5. ait: *Illud etiam aſſerimus ad placandos Catholicos, & hæreticos retundendos: de deponendis regibus nullum canonem aut profeſſionem ab Eccleſia fuiſſe editam, neque a quoquam aut concilio aut etiam Papa pronuntiatum eſſe, ne quis negaret Principes a Pontificibus poſſe deponi*. Quidquid ergo hac in parte a conciliis citra aliquam pro dogmate & moribus ad æternam ſalutem neceſſariis ſtabilitum eſt, tam parum nos premit, ac tot alia a conciliis circa temporalem clericorum immunitatem edita; conf. cl. de Riegger L. 3. decretal. §. 927. & edit. nov. 901. Neque ſanctiſſima noſtra Eccleſia, in dogmatibus ſeu propoſitionibus ſupra rationem poſitis & moribus ad ſalutem æternam neceſſariis tantum infallibilitate gaudens, hanc propoſitionem *Principes per Eccleſiaſticam poteſtatem etiam temporalibus pœnis coerceri poſſe* pro infallibilis deciſionis objecto ſumſit unquam, aut in poſterum ſumet. Cur autem hæc illave citra talem deciſionem ſancita prodierint, ex hiſtoria opinionum medii ævi facile conjici poteſt. Ipſum ſane Concilium Conſtantienſe ſeſſ. XXV. Concil. Tom. XVI. p. 237. *Joannem Huſſ, excommunicatum & degradatum*, CUM ECCLESIA DEI NON HABEAT ULTRA QUID AGERE VALEAT, CURIÆ SECULARI RELINQUENDUM *decernit*. Reflecte hic ad illud dictum Tertulliani jam ſupra allatum: *quodcumque non licet in Imperatorem; id nec in quemquam. Quod in neminem, eo forſan magis nec ipſum, qui per Deum tantus eſt*. Et conclude num concilium iſtud definire potuiſſet; Fide divina credendum eſſe, *Eccleſiam* ADVERSUS PRINCIPES *habere ultra quid agere valeat*. Sed non deeſt Eccleſiæ etiam aliud concilium, quod magis determinate Sententiam doctrinæ noſtræ vel potius doctrinæ Evangelicæ & SS. Patrum conformem enunciavit, additoque munivit anathemate; ſcilicet concilium Toletanum IV. ſub S. Iſidoro a. 633. celebratum can. 75. ita ſtatuens: *Servemus erga Deum Religionis cultum cum timore; cuſtodiamus erga Principes noſtros pollicitam fidem atque ſponſionem: non ſit nobis, ſicut in quibuſdam gentibus ſubtilitas impia, non ſubdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina*. NULLUS APUD NOS *præ-*

ſum-

ſumptione regnum ambiat: nullus excitet mutuas ſeditiones civium: nemo meditetur interitus Regum. Quod ſi hæc admonitio mentes noſtras non corrigit, & ad ſalutem communem cor noſtrum nequaquam perducit, audite ſententiam noſtram; Quicumque igitur E NOBIS *vel totius Hiſpaniæ populis qualibet conjuratione vel ſtudio Sacramentum Fidei ſuæ, quod pro Patriæ gentiſque Gothorum ſtatu vel conſervatione regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit, aut nece Regem attrectaverit, aut poteſtate regni exuerit, anathema ſit in conſpectu Dei Patris & Angelorum, atque ab Eccleſia Catholica efficiatur extraneus.* Legent adverſarii eadem in concilio Toletan. XV. a. 693. celebrato can. 10. Hæc noſtra ſi tam parum placent adverſariis, quam parum nobis illa ipſorum, lubentes ſequimur exemplum Auguſtini Maximino dicentis: *Sed nec ego Nicænum nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre concilium, nec ego hujus auctoritate nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritate, non quorumque propriis ſed utriuſque communibus teſtibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione componatur.* Atque ita fecere ordines Galliæ in conventu, celebrato die 9na Aprilis a. 1593. Pariſiis Cardinale Pelveo, aliiſque Epiſcopis quam plurimis præſentibus, contra Concilii Trid. ſeſſ. 25. c. 3. & 19. conf. Joan. Barclaj. in actis ejuſdem pag. 117. & 195.

§. 99. Laudant dein tot canones non tantum in communi Juris Canonici corpore contentos (*a*) ſed etiam illos pœnitentiales (*b*) alioſque, quibus vetus Eccleſia externas coercitiones aperte in peccata conſtituit (*c*).

(*a*) Per ea, quæ circa merces Iſidori, circa tot canones, in decreto Gratiani & in Decretalibus doctrinæ Iſidorianæ ſuperſtructos, & circa receptionem corporis Juris canonici præmiſimus, Canones nobis obſtantes facile ſolvuntur. Ceterum (uti jam monui ſupra §. 54. not. a.) in ipſo juris canonici corpore etiam alii exſtant canones, diverſam longe ab illis doctrinam continentes, conf. Cauſ. II. q. VII. can. 41. §. 3. & 6. nec non Cauſ. XXIII. quæſt. VIII. præf.

(*b*) Sufficiat, ex ipſa antiquæ Eccleſiæ praxi cuivis perſpectum eſſe debere, quod omnes coercitiones externæ canonibus pœnitentialibus contentæ, non unquam cum violentia in nolentes fuerint executioni datæ. Profecto non eas violente in quoſvis exequebatur Eccleſia, ſed ſolum imponebat communionem depoſcentibus ut, externa iſta pœnitentia internæ ſpecimina in ſe ipſi exequerentur. Verum eſt: jam tum non omnes Chriſtianos penas his canonibus ſtatutas *ultronee* anhelaſſe, multoſque ad has Pœnas *citra voluntatem ſuam* determinatas eo ſenſu acceſſiſſe *invitos*, ut, ſi abſque eis in communionem recipi potuiſſent, iisdem ſeſe non ſubjeciſſent. Iis tamen, qui ad explendam ita pœnitentiam & recipiendam ſub hac conditione inter fideles communionem prorſus inviti erant, ultra ejusdem communionis denegationem nihil a poteſtate Eccleſiaſtica contigit. Et ubinam inter canones pœnitentiales conſiſtit canon ille, quo ſummis Principibus pro ſalutari pœnitentia Regnum adimitur? conf. meus ordo Princip. P. II. §. 174. not. 1.

(*c*) Erit occaſio, ubi de pœnis Eccleſiaſticis agemus, fuſius demonſtrandi: nequaquam omnes pœnas, quæ in antiquis canonibus deprehenduntur, proprie Eccleſiaſticas fuiſſe. Etiam illas nempe ordinationes, quæ a civili poteſtate profectæ ſunt, jam vetus Eccleſia, pro fervore ſuo obſervantiam civilium legum apud fideles urgendi, ſuis canonibus inferebat. Quantum vero cæteroquin ab omni pœnarum temporalium executione, Eccleſiæ adjudicanda, puriſſimi ſint Canones antiqui, eorundem vindex unus inſtar omnium ſit Gregorius M. qui ſcribit.

1. GREGORIUS MAGNUS.

Quid autem de Epiſcopis, qui verberibus timeri volunt, CANONES *dicant, hanc fraternitas veſtra novit. Paſtores enim facti ſumus, non percuſſores, & egregius prædicator dicit, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Nova vero & inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Apud Grat. Diſt. 45. Can. 3. 6. 7.

2. CLEMENS TERTIUS.

Ut nullus invitos vel nolentes Judæos ad Baptiſmum venire compellat — QUIPPE CHRISTI FIDEM HABERE NON CREDITUR, QUI AD CHRISTIANORUM BAPTISMUM NON SPONTANEUS SED INVITUS COGITUR PERVENIRE. *Nullus enim Chriſtianus eorum quemlibet ſine judicio terrenæ poteſtatis vel occidere, vel vulnerare, vel ſuas pecunias auferre præſumat, aut bonas, quas hactenus habuerunt conſuetudines immutare, præſertim in feſtivitatum ſuarum celebratione quiſquam fuſtibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet.* c. 9. de Judæis &c.

Novimus quidem aliter longe ſcriptum eſſe a Bonifacio VIII. in cap. 1. de major. & obed.

Ex-

Extrav. Com. Verum nos, qui nec quidem minus probabilem præ probabiliori ſententia, dictante ita ſanæ rationis lumine, abſque omni pernicioſo in laxiſſima praxi quærendo effugio tenemus, multo minus hanc, quæ Pontifici materialem exſculpit gladium, utpote rationi, ſacris litteris, traditioni & non tantum relatis, ſed quam plurimis aliis SS. Patrum teſtimoniis adverſam, atque adeo aperte falſam unquam amplectemur. Oppono tantummodo præter relata, etiam illa S. Ambroſ. in Luc. XXIII. 49. Can. Apoſt. 26. Diſt. XLV. C. 7. conſ. etiam codex Theodoſ. I. l. 21. 38. 52. de hæretic. & S. Auguſtinus in libro ad Bonifacium ſeu in Epiſt. 185. alias 50. num. 25. & n. 36. nec non in libro III. contra Creſc. Cap. 46.

§. 100. Denique dicunt; hanc eandem, de qua loquimur indirectam poteſtatem exercitam fuiſſe a S. Ambroſio contra Theodoſium (*a*), a Gregorio I. in privilegio, quod Monaſterio S. Medardi conceſſit (*b*) a Gregorio II. excommunicante Leonem Imperatorem atque Italis prohibente, ne illi tributa ſolvant, (*c*) a Zacharia deponente Childericum Regem Francorum, eidemque ſubſtituente Pipinum Caroli M. Patrem (*d*) atque ab aliis ſummis Pontificibus præter Gregorium Septimum (*e*) & ita quidem fuiſſe exercitam, ut tot principes ipſi ejuſdem poteſtatis juſtitiam ſumma cum demiſſione agnoverint; (*f*) recogitantes nimirum: ſe hoc pacto in Eccleſiam eſſe receptos, ut ſceptra ſua Chriſto ſubjiciant, & Chriſti fidem ſe ſervaturos ſub pœna regni perdendi polliceantur (*g*).

(*a*) Legimus Theodoſium ab Ambroſio cenſura quidem Eccleſiaſtica, non vero privatione ſui regni punitum eſſe. Neque dicant adverſarii: ſufficere Imperatorem non tamen prius ab hac cenſura fuiſſe abſolutum, quam legem condiderit ab Ambroſio requiſitam. Minime enim hoc ad probandam eorum ſententiam ſufficit; dum nos non negamus: Principes ab Eccleſia ſpiritualibus mediis puniri, & ante edita converſionis ſigna in fidelium communionem non recipi poſſe, illi autem Eccleſiæ tali in caſu etiam jus in temporalia Principum adjudicant. Profecto etſi refractarius fuiſſet Theodoſius, propterea tamen nunquam Ambroſius ultra denegatam Cenſuræ ſolutionem quidpiam attentaſſet. Quid quod Epiſcopus ille tam ſanctitate quam prudentia inſignis nec ita quidem proceſſiſſet contra Imperatorem, ſi non tenerum facilemque ejus animum jam cognoviſſet antea, eumque mox ultra confitentem ac pœnitentiæ omni ſeſe ſubjicientem habuiſſet. Conſ. Boſſuet L. VI. cap. 4. Barclajus cap 38. Lochſtein 2. P. 3. C. 3. pag. 118. Pereira l. c. pag. 133.

(*b*) Præterquam quod non evictum ſit: Gregorium ipſum ſuis privilegiis addidiſſe has clauſulas: ut quicumque privilegia eadem turbaverint; etſi Reges & Principes fuerint, dignitatibus & honoribus ſuis ſint ſpoliati (vide Mabil. Cod. dipl. c. 9.) illæ clauſulæ potius imprecantis, quam ſententiam ferentis more addebantur. Neque præſumi queunt ejuſmodi ſententiæ a Pontifice, qui ad Imperatorem ſcripſit: *Poteſtas ſuper omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data eſt — Ego quidem juſſioni ſubjectus eamdem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci; & quia lex ipſa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis dominis meis nuntiavi. Utrobique ergo, quæ debui, exſolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui*. L. 2. Ep. 62. ind. 11. Conſ. Boſſuet L. VI. cap. 9. Barclaj. cap. 39. Lochſtein l. c. cap. 2. pag. 86.

(*c*) Paulus Diaconus & Anaſtaſius Bibliothecarius contrarium teſtantur apud Fleury, hiſt. Eccleſ. L. 42. n. 5. uſque 10. conſ. etiam apud Barclajum cap. 40. teſtimonium Platinæ, quod Gregorius II. potius ſe oppoſuerit Italis a legitimo ſuo Rege deficere, aliumque ſibi eligere volentibus. Nec non Boſſuet Lib. VI. pag. 12. ſeq. & Lochſtein l. c. pag. 90. & hinc Græci ſcriptores, qui ex odio contra hunc Pontificem eundem hujuſmodi facti incuſarunt, nos non morantur.

(*d*) Eruditorum multi totum decretum Zachariæ & factam ad id obtinendum legationem gallicam inter fabulas referunt, ob argumenta, quæ Natalis Alexander in hiſt. Sæc. VIII. diſſ. II. & Cointius in annalibus Francorum ad annum 752. num. 8. refert. Aliæ vero cum Gloſſa ad Cauſ. LV. p. 6. c. 3. verbum *depoſuit* declarant *deponentibus conſenſit*; videantur Joannes Pariſienſis de poteſt. reg. & Pap. c. 14. Auctor Somnii viridarii apud Goldaſtum, Eginhardi annales Laureshamenſes, Annales Fuldenſes Freheri, Bertiniani a Muratorio editi, hiſtoria Pontificum Romanorum ab Almerico Augerio Auguſtiniano ſcripta; & etiam Launojus advertit, præter Gregorium Septimum ex antiquis nullum eſſe, qui tradat, a Zacharia Gallos fidelitatis Sacramento ſolutos fuiſſe. Conſ. Pereira l. c. p. 140. uſque 146. Boſſuet l. c. cap. 19. Barclajus c. 41.

(*e*) Quod Gregorius VII. Henricum IV. Im-

Imperatorem Imperio privans, ſubditoſque a fidelitatis juramento ſolvens attentavit, a nullo ante Pontifice attentatum fuiſſe, præter illa, quæ jam adtulimus, comprobant teſtimonia tot aliorum graviſſimorum Virorum. Ita ſcilicet ſcribit Onuphrius Panvinius Veronenſis Ord. Auguſtiniani Lib. IV. de varia creatione Rom. Pontif. *Etſi antea Romani Pontifices tanquam Religionis Chriſtianæ capita Chriſtique Vicarii & Petri ſucceſſores colerentur: non tamen eorum authoritas ultra protendebatur, quam in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus ſuberant: ad eorum nutum omnia fiebant: ab eis creabantur: de iis judicare vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus.* PRIMUS OMNIUM ROMANORUM PONTIFICUM GREGORIUS VII. *armis Normannorum fretus, opibus comitiſſæ Mathildis mulieris per Italiam potentiſſimæ confiſus, diſcordiaque germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus;* PRÆTER MAJORUM MOREM *contemta Imperatoris authoritate & poteſtate, cum ſummum Pontificatum obtinuiſſet, cæſarem ipſum, a quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam Regno Imperioque privare auſus eſt,* RES ANTE EA SECULA INAUDITA. *Nam fabulas, quæ de Arcadio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror.* Idemque cleri Leodienſis Epiſt. adverſus Paſchalem II. habet his verbis: *Hildebrandus Papa auctor eſt hujus novelli ſchiſmatis & primus levavit ſacerdotalem lanceam contra diadema Regni. Quis Pontificum Romanorum ſuis unquam decretis authoriſavit, ut debeat Pontifex gladio belli in peccantes uti? Gregorius Primus hujus nominis Papa, quid omnes ante ſe Papæ ſuper hoc ſenſerint, & quod omnes ante ſe ſentire debeant, oſtendit, ſcribens Sabiniano Diacono:* UNUM EST, QUOD SUGGERAS SERENISSIMIS DOMINIS NOSTRIS. QUIA SI EGO SERVUS EORUM IN MORTE LONGOBARDORUM CONSENTIRE VOLUISSEM, eorum GENS NEC DUCES NEC COMITES, HABERET, SED QUIA DEUM TIMEO IN MORTEM CUIUSLIBET HOMINIS ME MISCERE FORMIDO. *Hoc exemplo omnes a Gregorio I. Pontifice utebantur ſuo gladio ſpirituali uſque ad ultimum Gregorium, id eſt, Hildebrandum, qui primus ſe & ſuo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli*, Cod. Udalrici ex Edit. Eccardi Tom. II. pag. 250.

(*f*) Ex eo quidem, quod hoc illudve factum ſit, nondum hujus illiuſve facti juſtitia intelligitur. Videlicet non quid Romæ factum fuerit, ſed quid fieri debuerit, attendendum eſt. Neque per hoc violentia Pontificum juſta reddebatur, quod ſubinde Imperantes huic violentiæ reſiſtendo ſeſe impares agnovere. Facile autem demonſtrare poſſumus: Pontificiæ in temporalia Principum poteſtati per cuncta ſæcula magis repugnatum quam conſenſum fuiſſe. Novimus quippe ad Hadrianum II. anno 870. Jus hæreditarium Regni Lotharii ſua ſententia definire volentem ab Archiepiſcopo Rhemenſi Hincmaro literas totius regni nomine & in his has celebriorum Gallorum voces fuiſſe ſcriptas: *Petite Dominum Apoſtolicum, ut quia Rex & Epiſcopus ſimul eſſe non poteſt, & ſui Anteceſſores Eccleſiaſticum ordinem, quod ſuum eſt, & non rempublicam, quod regium eſt, diſpoſuerunt, non præcipiat nobis habere Regem, qui nos adjuvare non poſſit, & nos Francos non jubeat ſervire cui nolumus; quia iſtud jugum ſui anteceſſores noſtris anteceſſoribus non impoſuerunt, & nos illud portare non poſſumus, ſi dominus Apoſtolicus vult pacem quærere, ſic pacem quærat, ut rixam non moveat: quia nos non concredemus, ut aliter ad regnum Dei pervenire non poſſimus, ſi illum, quem ipſe commendat, Regem non habuerimus.* Hincmar. Tom. II. p. 690. Novimus Joanni Agnano Romani Pontificis legato, dum anno 1188. Philippo minabatur: *quod niſi Rex Franciæ cum Rege Anglorum ad plenum componeretur, ipſæ omnes terras eorundem interdicto concluderet*, reſponſum fuiſſe: *ad Epiſcopum Romanum minime pertinere in Regem aliquem per ſententiam animadvertere, ſi Rex idem in homines ſuos dementer & regno ſuo rebelles ulciſcendi cauſa inſurgere diſpoſuerit.* Math. Pariſ. Hiſt. Angl. pag. 149. Novimus illam a Bonifacio VIII. ad Philippum pulchrum Galliæ Regem datam Epiſtolam, quæ incipit: *ſcire te volumus quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes*, poſt incaſſum adhibita omnia, quæ animum legati Apoſtolici flecterent, & præmiſſa conteſtatione, *quod Rex in iis, quæ ipſius animam tangunt & ad ſpiritualitatem attinent prædeceſſorum ſuorum ſequens veſtigia paratus ſit monitionibus & præceptis ſedis Apoſtolicæ devote ac humiliter obedire, in quantum tenetur ac debet*, publice combuſtam fuiſſe Act. hujus diſſidii edit. Pariſ. ann. 1658. pag. 28. 44. 59. Et quam fortiter Univerſitas & ſacra facultas Pariſienſis tam illis temporibus quam ſub Ludovico XIV. contra indirectam Rom. Pontificis poteſtatem in temporalia regum ſua reſponſa dederit, vide apud Bulleum in Hiſt. univerſit. Pariſ. Tom. IV. apud Boſſuet Tom. I. pag. 99. apud Petrum Pithœum in Probat. libertatis Gallicanæ cap. 7. Sat reſiſtentiæ pro viribus etiam in Henrico IV. fuerat, donec rebus ſuis ita unice conſultum putans ſe contulerit Canuſium, ubi apud ejuſdem arcis Dominam Mathildem Gregorius VII. tum mora-

rabatur. Sed id ipſum, quod ibidem Imperator ſummo in frigore laneis indutus & nudis pedibus intra ſecundum murorum ambitum tribus integris diebus perſiſtere debuerit, & quarta demum die admiſſus in conſpectum Pontificis, propoſitis ab eodem duriſſimis & Majeſtati Imperioque toti præjudicioſis conditionibus ſe ſubmiſerit, Epiſcopos tam Italiæ quam Germaniæ, quorum non niſi quinque Gregorio per omnia adhærentes fuerant, & optimates & clerum & Religioſos, cumprimis ex Ordine S. Benedicti (qui ſcilicet contra hos ipſos auſus exemplar fidelitatis erga Imperatorem cum canonibus componendæ ſuis factis ſcriptiſque prorſus intenſe dederunt) & cives utriuſque ſexus & integros populos adverſus Pontificem concitavit, armorumque adverſus eum ab Henrico reſumptorum nova cauſa extitit. Pereira l. c. pag. 64. & ſeq. Sat quoque reſiſtentiæ ſub Ludovico Bavaro & Friderico II. & quidem eo gradu, qui in illorum temporum caligine ſummus erat, commonſtratum fuiſſe, quomvis hiſtoria Eccleſiaſtica edocere poteſt. Conf. etiam Lochſtein l. c. p. 99. & 112.

(*g*) Repete hymnum: ***non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia***, *repete omnes illos textus* queis Chriſtus, *Regnum ſuum non de hoc mundo eſſe* declaravit. Paucis reflecte ad omnia, quæ hactenus dicta ſunt, & omne ejuſmodi tacitum pactum, quo imperantes ad Eccleſiam noſtram tranſituri ſceptra ſua Chriſto, & ita quidem ſubjicere tenerentur, evaneſcet; de expreſſo enim ſimili pacto antea emittendo alioquin nulli quidquam conſtat. *Accedit ne hoc* Pactum (quærit de Lochſtein c. 3. §. 7.) *in baptiſmo, vel in coronatione? Sit ergo pactum tacitum; ſed ita debet hoc Chriſtianæ Religionis natura & eſſentia fundatum eſſe. Verum enim vero jam demonſtravimus, Regnum Chriſti non eſſe hujus mundi, Chriſtumque Jeſum quodcumque mundanum imperium Eccleſia ſua excluſiſſe.* (§. 4.) *Illud ergo prædicatum Pactum tacitum non eſt in natura & eſſentia Chriſtianæ Religionis fundatum. Hinc id aliud non eſt niſi merum inventum, novorum Canoniſtarum chimæra, quæ Dei Eccleſiæ per tot ſecula ignota fuit.*

CAPUT VI.

De limitibus Poteſtatis Eccleſiaſticæ ac Civilis in genere.

101. Facile hæc modo perſpiciuntur axiomata: I. *poteſtati Eccleſiaſticæ tamquam Poteſtati mere ſpirituali* ad obtinendum ſuum finem, qui in expletione normæ evangelicæ & conſecutione æternæ ſalutis conſiſtit, *non alia quam itidem ſpiritualia media neceſſaria eſſe, atque competere* (*a*) *neque* II. *eandem poteſtatem ex ſua natura unquam civiles producere effectus.* (*b*) III. *ab illo*, per quem Reges regnant, & qui regna in hoc mundo iiſdem ſumma cum poteſtate in temporalibus ſalva eſſe voluit, *cuivis imperium civile tenenti tantum etiam juris eſſe, & relictum & confirmatum, quantum ad perficiendam civitatem, eamque contra nociva quæque defendendam eſt neceſſarium.* (*c*) IV. Hoc ipſo quod *ſupremum Numen* non tantum *ſe* immediate coli, ſed etiam nos noſtroſque proximos, quoad animum, corpus & ſtatum externum perfici (*d*) atque hac de cauſa civitates conſtitui juſſit, (*e*) hoc ipſo, quod officia erga Deum affirmativa de rationis (*f*) & revelationis (*g*) præcepto officiis neceſſitatis aut maximæ utilitatis erga nos & proximos noſtros poſtponenda ſunt; hoc ipſo denique, quod *Eſſentialia Religionis* ſeu quæ cum felicitate interna neceſſariam connexionem habent, ad ſui conſervationem felicitate externa non indigent, eadem Religionis eſſentialia *neque ibi, ubi Religio floret, neque etiam ibi, ubi ea omni ſubjacet perſecutionum generis externæ civitatis felicitati nocere, atque eidem impedimento eſſe poſſe.* (*h*) V. Ex eadem cauſa, quod mandata hæc: *cole Deum & perfice temetipſum ac proximum, & quidem, dum perfectio aliter obtineri nequit, in civitate*; tamquam ab eodem Auctore Deo provenientia non poſſunt ſibi invicem eſſe contraria (*i*), & quod certe Deus neque vult, neque velle poteſt, ut arbitrio hominum quid Religioni accedat, quod fini civitatis, quem ipſemet immutabili naturali lege præſtruxit, eſt adverſum, *omnia ea, quæ Religioni arbitrio hominum advenere & accidentalia vocantur, quam primum Reipublicæ nociva eſſe incipiunt, porro Religioſa non eſſe*, & illico *juſſu Principis, cujus ſolius eſſe nociva reipublicæ cognoſcere, e republica debere eliminari* (*k*). VI.

ta-

tamen *Rectoribus civitatum* id eſſe officii, ut illa *Religionis accidentalia, quæ civiliter ſunt indifferentia* ſeu reipublicæ omnino non nocent, (*l*) & *univerſe totam Religionem non tantum non perturbent*, ſed ſecundum proportionem mediorum, quibus efficaciſſimis ſunt inſtructi, *promoveant etiam atque tueantur* (*m*).

(*a*) Ejuſmodi media ſunt, *docere*, *rogare*, *hortari*, *increpare*, *æterna premia æternaſque pœnas in motivum diſtincte adducere*, & demum ſi hæc non ſufficiant, *communione fidelium privare*, non pœna *ignis*, *gladii*, *relegationis*, aut *pœnæ aliæ corpus*, *famam vel bona afficientes*. Vide ſupra §. 88. not. g.

(*b*) Ab hoc axiomate ad *civiles* excommunicationis effectus vel hic concludi poteſt, num iidem effectus a poteſtate Eccleſiaſtica vel a legibus civilibus repetendi ſint. Profecto *quod inter Chriſtianos excommunicati, niſi reſipiſcant, ſint infames inteſtabiles, ad quædam vitæ civilis officia inhabiles, id ex eo ortum eſt, quod Chriſtiani Principes, quoad fieri poteſt, leges ſuas ad bonos mores, atque Evangelicam diſciplinam aptent, non quod excommunicatio per ſe ullo temporali jure bonoque privet*. Boſſuet Lib. I. cap. 22. Lib. IV. c. 1. §. 5.

(*c*) Conciſum, ſed paucis multa exprimens eſt illud S. Optati Epiſcopi Milevitani apophtegma: *Non Reſpublica eſt in Eccleſia ſed Eccleſia eſt in Republica* L. III. de Schiſm. donatiſt. cap. 3. ad quod ita diſſerit Albaſpineus Epiſcopus Aurelianenſis: RESPUBLICA NON EST IN ECCLESIA *& Eccleſia non facit bella, non leges figit, non populos ſub legibus coercet, non res civiles exercet & ſimilia*. ECCLESIA AUTEM EST IN REPUBLICA, *Chriſtiani ſub legibus Imperatorum vivunt, proteguntur, quietam vitam ſub eorum protectione ducunt, & ſimilia*. Et tene tibi quoque hæc verba Auguſtini: *cæleſtis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit ſocietatem; non curans quidquid in omnibus legibus, inſtitutiſve diverſum eſt, quibus pax terrena, vel conqueritur vel tenetur: nihil eorum reſcindens, nec deſtruens, immo etiam ſervans ac ſequens, quod licet diverſum in nationibus diverſis, ad unum tamen eundemque finem terrenæ pacis intenditur, ſi religionem, qua unus ſummus & verus Deus colendus docetur, non impedit*. Nec non Conf. Cl. de Martini Poſit. de Jure civ. §. 63.

(*d*) Conf. Cl. de Martini Poſit. de lege naturali §. 319. 331. 358.

(*e*) Conf. cl. de Martini Poſit. de Jure civitatis totum Caput I.

(*f*) Conf. cl. de Martini Poſit. de lege nat. §. 324. 354.

(*g*) Luc. c. VI. v. 1. uſque 11. Matth. c. XII. v. 1. uſque 14. Marc. c. II. v. 23. uſque 28. & c. III. v. 1. uſque 6.

(*h*) Neque putes internam externamque felicitatem inter ſe pugnare ideo, quia diſertis ipſius Chriſti & Apoſtolorum verbis, contemptus eorum quæ mundi ſunt, inculcatur, quia laudati ſunt Apoſtoli, quod reliquerant omnia. Etenim rectus externarum perfectionum *uſus* cum *abuſu* & ſtatus *colliſionis* cum *Antinomia* non confundendus eſt. Plurimis ſane ſacrarum literarum locis abuſus & temporalibus nimium adfixus animus reprobatur, ſed quam plurimis etiam locis aliis eorum injungitur expletio officiorum, quæ ad externam ſui atque proximi perfectionem, quæ ad perfectionem tam minorum ſocietatum, quam totius civitatis conferunt. Uſus nimirum felicitatem externam promovet, non abuſus, qui eandem deſtruit potius, & quem etiam hac de cauſa civitatum Rectores, etſi ſint a nemine dependentes, in conſcientia vitandi obligationem habent. Ceterum quod colliſionem attinet, novimus eam tum adeſſe, *quando duæ leges nec mutatæ, nec alias contrariæ caſu & eventu peculiari ambæ obſervari nequeunt*, veluti dum quis in periculum certæ necis ab iniquo adgreſſore conjectus expletionem utriuſque hujus legis *conſerva te & conſerva proximum*, quantumvis neutra mutata, quantumvis ambæ ſibi alias non ſint contrariæ, impoſſibilem experitur. Eadem ratione officia erga Deum, cum officiis noſtræ aut proximorum perfectionis colliди poſſunt, atque non minus hic, quam in omni alia colliſione neceſſaria eſt exceptio, ſeu *determinatio uni tantum legi, & quidem fortiori congrua*. Itaque ſi quidcumque ad nos noſtroſque proximos externe perficiendos ſummopere conducens non aliter, quam violando officia erga Deum negativa, ſeu ſummum Numen contemnendo & divinam gloriam obſcurando obtinere poſſemus, id obtinere non unquam liceret, ſed ejuſmodi externam perfectionem prætermittendi ſumma omnino adeſſet obligatio. Porro ſi officia quædam erga nos aut proximos, quæ neque neceſſitatis neque tantæ utilitatis ſunt, cum officiis erga Deum affirmativis, quæ videlicet non tantum in obſcurationis omiſſione, ſed actionibus pro numinis gloria ponendis conſiſtunt, eum in conflictum venirent, ut utraque obſervare ſit impoſſibile, etiam hic ob fortiora motiva potius actio Dei gloriam immediate illuſtrans quam ea, quæ aut nos aut proximos externe perficit, po-

ponenda foret, quia univerſe gloriam Dei & nunquam obſcurare, & quoties occaſio eſt, *poſitivis* etiam actionibus promovere finis ille ultimus exigit. Hæc ipſa autem omnis occaſio Dei gloriam actionibus *poſitivis* promovendi nobis deeſt, quamprimum officia erga nos aut proximos noſtros ejuſmodi, quæ neceſſitatis, quæve ſummæ utilitatis ſunt, cum officiis erga Deum affirmativis in colliſionem veniunt. Tum enim nec ratio, nec revelatio poſtulat, ut illa erga nos aut proximos ſeponamus officia, per quorum ipſam expletionem gloriam Dei, qui nos exiſtere atque adeo conſervari & perfici vult, illuſtramus & quorum omiſſione ad attributa divina porro manifeſtanda inepti redderemur. *Sane poterit quis* ut ait cl. de Martini de leg. nat. poſit. 354. *alio loco & tempore eodem officio*, quod ad gloriam Dei immediate illuſtrandam conducit, *perfungi*, *nec*, *qui ſe ipſum ſervat abſque impietate*, *recedere intelligitur a divino cultu*, *quippe ad quem omnes & ſingulæ actiones noſtræ ſemper referendæ ſunt*. Intelligimus nunc opinor, cur Chriſtus Apoſtolos, quos alioquin paucos elegit, quoſque determinatos certe non elegiſſet, ſi eos *Cæſari reddendos*, ſeu ſi Electionem hanc non *civiliter indifferentem ſolviſſet*, cur inquam Chriſtus Apoſtolos hos, quod reliquerant omnia, laudaverit? Nimirum neque neceſſitati neque utilitati publicæ repugnabat, neceſſitati autem & maximæ utilitati Religionis conveniebat, ut Apoſtolici hi *viri domum vel fratres aut ſorores*, *aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros relinquerent*, quibuſcum omnibus manere & ſimul per totum mundum evangelii prædicandi cauſa circumire profecto erat impoſſibile. Intelligimus autem ſimul, inde deduci non poſſe, ſingulos omnino cives ad hæc omnia derelinquenda obligari. Veluti a Chriſto Centurionem Matth. C. VIII. & paraliticum C. IX. *Domum ire* juſſos & non a militia aut ſuo munere avocatos eſſe, imo ipſum Chriſtum Matth. C. XII. v. 1. uſque 14. *Sabbato curam proximi* geſſiſſe legimus. Veluti Paulus *uxores a viris non diſcedere* I. ad. Cor. VII. *prudentiam doceri adoleſcentulas*, *ut viros ſuos ament: filios ſuos diligant ad* Tit. c. II. *mulieres cum verecundia & ſobrietate ſe ornare* I. ad Tim. C. II. *Viros viciſſim ſuas uxores diligere*, ad Eph. C. V. *filios obedire parentibus per omnia*, *ſervos obedire per omnia Dominis carnalibus; dominos viciſſim*, *quod juſtum eſt & æquum*, *ſervis præſtare*, ad Col. c. III. & IV. *Cives ſubditos eſſe non ſolum propter iram*, *ſed etiam propter conſcientiam*, *non reſiſtere poteſtati*, *præſtare tributa & vectigalia* ad Rom. c. XIII. *unumquemque*, *in qua vocatione vocatus eſt*, *in ea permanere* I. ad Cor. c. VII. *quemvis etiam Epiſcopo & Diacono non excepto ſuorum & maxime domeſticorum curam habere* ad Tim. I. c. IV. & V. denique generatim, quæ ad ſalutem ſocietatis aut *conjugalis*, aut *parentalis*, aut *herilis*, aut *domeſticæ* aut *civilis* contribuunt, innumeris ſuarum Epiſtolarum locis aliis, tam aperte, quam enixe juſſerat.

(*i*) Contraria enim hæc mandata ſi eſſent, Numen ſibimet ipſi contradixiſſet. Quod cum ob infallibilia Ejuſdem ſancita dici nequeat, uſque verum manet; extra ſtatum colliſionis, quam ſat prolixe declaravimus, cultum Numinis, & ſui ipſius proximique perfectiones etiam externas ſimul conſiſtere poſſe.

(*k*) Non ergo diminutione ejuſmodi *accidentalium*, quæ reipublicæ nocent, aut nocere incipiunt, ipſi Religioni, aut vero ejuſdem ſplendori quid demitur, dum ea ad *Religionem pertinere nequeunt*: neque per id *indirectam in id ipſa ſpiritualia poteſtatem exerit Princeps*, dum nociva reipublicæ, quæ a Chriſti ſpiritu non deſcendunt, atque adeo *ſpiritualia & ad Religionem pertinentia dici non poſſunt*, ſolummodo amovet.

(*l*) Etenim ſi eſſentiæ civitatis aut ſocietatum minorum, ex quibus civitas conſurgit, lex Eccleſiæ *accidentalis* non nocet, profecto non eſt ratio, cur Princeps eam non agnoſcendi poteſtate gauderet. Obſtat nimirum ipſa Eccleſiæ poteſtas, ſeu facultas actionis fidelium (modo juri divino aut naturali aut poſitivo, quo etiam ſalus rerum publicarum pertinet, nil injungatur contrarium) pro ſuo arbitrio ad æternam ſalutem determinandi.

(*m*) Quivis fidelium Religionem omnibus, queis pollet, viribus promovendi obligationem habet, ergo ex natura Majeſtatis, quæ ſummam omnium virium in republica ſub ſe complectitur, legitimo ratiocinio fluit, Imperantem maxime omnium Eccleſiæ patronum, & ſupremum Ejuſdem defenſorem ſeu *Advocatum* eſſe; id quod etiam cognovere Patres & Pontifices. *Quomodo ergo* ſcribit S. Auguſtinus in Ep. ad Bonifac. n. 19. *Reges Deo ſerviunt in timore*, *niſi ea*, *quæ contra juſſa domini fiunt*, *religioſa ſeveritate probibendo atque plectendo? Aliter enim ſervit*, *quia homo eſt: aliter quia Rex eſt:* & lib. III. contra Creſcon. *In hoc ergo ſerviunt Domino Reges*, *in quantum ſunt Reges*, *cum ea faciunt ad ſerviendum illi*, *quæ non poſſunt facere niſi Reges*. Vide etiam L. III. contra Creſcon., cap. 51. & S. Leo. I. Pontifex in Epiſt. 125. alias 75. ad Leonem Auguſtum; eundem ita alloquitur: *debes incunctanter advertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen*, *ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam*, *ut caſus nefarios comprimendo & quæ bene ſtatuta defendas & veram pacem his*, *quæ*

ſunt

ſunt turbata; reſtituas. Tom. I. p. 337. Edit. Queſnel. Similiter S. Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis ait: *Cognoſcant Principes ſeculi, Deo debere ſe reddere rationem propter Eccleſiam, quam a Chriſto, tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augentur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvantur: ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit*. Apud Gratian. Cauſa XXIII. q. V. C. 20.

§. 102. Quæ ex certiſſimis his propoſitionibus eadem mathematica certitudine (*a*) profluunt corollaria, ea illas conficiunt ſententias, (*b*) quæ I. generatim circa actiones omnium in Eccleſia & Republica viventium II. circa perſonas Eccleſiaſticas ſpeciatim III. circa Eccleſiaſtica jura IV. circa ejuſmodi res & bona, ab omni ſecundum rectæ rationis & ipſius revelationis dictamina cogitandi non inſcio, nullo non tempore tenebuntur, & quas juxta hunc ordinem modo ſigillatim examinabimus.

(*a*) Certitudo mathematica in concluſione ex certis principiis legitime deducta conſiſtit. Jus naturæ, ſcriptura, traditiones divinæ & Apoſtolicæ, eſſentialia conciliorum œcumenicorum effata, conformitas & tacitus totius Eccleſiæ conſenſus, concors SS. Patrum teſtimonium; hæc opinor hujuſmodi principia ſunt, de quorum certitudine dubitare, aut inſanum aut ſumme temerarium eſſet. Quandoquidem igitur nobis oſtendi nequit corollarium ullum, quod non ex principiis his, ut eadem aperte & plane cuivis intelligenti loquuntur, atque adeo abſque contorſione & fallacia (quod peccatum illis Iſidorum peccatorem ſectantibus perquam familiare fuit) deductum eſt, profecto de mathematica corollariorum noſtrorum certitudine nil eſt, quo reformidemus.

(*b*) Nil puto, homini docto & erudito magis ridiculum eſſe poſſet, quam *Sententiarum novarum* prædicatum, ſi quis id corollariis noſtris tribuere & ex adverſo ſententias illas, quas Eccleſia uſque ad Iſidoriana tempora ignoravit antiquiſſimas compellare vellet.

LIBER SECUNDUS

DE PRÆCIPUIS JURIBUS IN SPECIE, QUÆ SUMMI PRINCIPES CIRCA SACRA INTRA SUOS LIMITES HABENT.

CAPUT PRIMUM.

De Jure Principis circa ſacra, relato ad actiones quorumcumque fidelium in Republica viventium.

§. 103. ACtiones hominum quod attinet, quandoquidem aut immediate ad felicitatem internam aut vero externam relatæ eſſe queunt, patet eaſdem illo ſub reſpectu Eccleſiaſticæ, ſub hoc autem profanæ ſubjacere poteſtati. (*a*)

(*a*) Documento eſt matrimonium, quod quatenus contractus eſt, ab Imperantis; quatenus vero ſacramentum, ab Eccleſiæ judicio dependet. *Matrimonium*, ait cl. de Riegger in Inſt. Jur. Eccleſ. P. 1. §. 160. edit. de a. 1768. p. 246. *contractus eſt per ſe quidem mere civilis, quoniam tamen Chriſto Eccleſiæ Chriſtianæ Sanctiſſimo fundatori eum placuit ad ſacramenti evehere dignitatem, ea ratione effectum eſt, ut is ad negotia religionis referendus ſit. Quemadmodum igitur Eccleſiæ, quum poſteriori hoc reſpectu contractum hunc cogito, negare poteſtatem non poſſum modum determinandi præſcribendique Conditiones, quibus non obſervatis contractus hic* SACRAMENTI DIGNITATEM *non conſequitur; ita jus eſt quoque civilis poteſtati, vi cujus præſcribere poteſt certum* CONTRAHENDI MODUM, *cui ſi nuptiæ contractæ ſint conſentaneæ, tum demum negotium habeatur civiliter validum atque id quidem ſine ulla ab Eccleſiæ dependentia.*

§. 104. Itaque nequit Princeps I. determinare, quæ ſint dogmata (*a*) II. quemquam ad illas cogere actiones, quæ rectæ rationi aut verbo Dei revelato adverſantur. (*b*)

(*a*) Nam ipſa dogmata nituntur ſolius Dei auctoritate & eorundem explanatio judicio infallibili, quod Eccleſiæ, non principibus datum eſt:

(*b*) Omnis religio ab intellectu & voluntate dependet, atque ideo ab actibus internis externa quadam vi abſolute cogi neſciis. Non abnuo, ea in hypotheſi actus hos cogi poſſe, in qua quis ipſe voluntatem ſuam violentiæ evitandæ cauſa mutat. Sed num propterea mutatus etiam intellectus eſt, & unde Princeps ad voluntatem contra rationis & revelationis lumen mutandam ſubditos ſuos cogendi facultate pollet. Huc ſane illud pertinet, *obedire oportet Deo magis quam hominibus*, Act. Apoſt. C. V. inde tamen non concludas velim: Principibus ita violentis etiam reſiſtere licere; ſunt enim *non obedire*, & *reſiſtere* diverſiſſima, atque illud patientia a Chriſto & ab Apoſtolis inculcata, hoc vi externa ad ſalutem internam non neceſſaria, a Chriſto & ab apoſtolis prohibita, & uſque ſubjectionis pacto adverſa expeditur. Conf. cl. de Riegger. l. c. §. 426. & ſequ.

§. 105. Poteſt autem Princeps, veluti & qua Eccleſiæ advocatus, & qua Reipublicæ defenſor plane etiam obligatione tenetur (*a*) I. obſervantiam Dogmatum promovere (*b*) II. Leges Eccleſiaſticas ſua authoritate firmare (*c*) III. piarum exercitationum ſeu venumdationes ſeu denegationes iniquas, ſeu abuſus quoſque alios tollere (*d*) IV. ritibus arbitrariis (*e*) & feſtis diebus (*f*) Salutis publicæ cauſa ponere modum. V. inſpicere actiones Eccleſiæ etiam eſſentiales, ne ſub dogmatum prætextu, atque adeo ultra dogmatum & mediorum ad ſalutem æternam neceſſa-

riorum-

riorum fines doctrinæ bono civili contrariæ invehantur (*g*) VI. examinare vota & pacta civium de Eccleſiæ negotiis, eaque ſi reipublicæ nocent, non tantum prohibere, ſed irritare, nec non (*h*) VII. uti Eccleſia Jure ſtatuendi impedimenta Matrimonii ut *Sacramenti*, ita *Princeps* jure ſtatuendi impedimenta Matrimonii, ut *contractus civilis* eſt, gaudet. (*i*)

(*a*) Quod unum omnium maxime a te flagito, id eſt ut eorum, quæ paulo ante §. 101. præmittebamus, principia, non ullum mente dimittas. Ita enim *reflexe* quamlibet propoſitionum hic poſitarum ſi legas; certiſſimus ſum, te a nulla turbatum iri, ſed potius deprehenſurum eſſe, quam facile & aperte, quam ſalva, imo jubente pietate quælibet ad eum, unde profluxit, genuinum fontem reduci queat.

(*b*) Vide ſupra §. 101. axioma VI. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 428. de Martini poſit. de jure civil. §. 202.

(*c*) Fluit id ex eodem prædicto axiomate VI. & iis quæ in §. 101. not. m. demonſtrata ſunt. *Non ſolum interpellati & rogati Principes* ait Petrus de Marca, *miniſterium ſuum ad canonum obſervationem commodare poſſunt, ſed etiam ex officio in eam curam incumbere tenentur. Ad quæ officia Principes adigi putamus non ex eo tantum capite, quod ea ad felicitatem Imperii conducant, quæ quidem ut plurimum cum illis eſt conjuncta. Sed ex eo etiam, quod nomen ſuum Chriſto dederint, eique Caput ſuum & ipſam regiam dignitatem devoverint* L. II. de Concord. Cap. X. n. i. Et *ſi Principum nihil intereſt rerum ſacrarum* ſcribit Claudius Eſpenceus Epiſcopus Eburenenſis, *cur de negotiis Eccleſiaſticis in codice, in novellis tot Auguſtæ leges atque Conſtitutiones, tot in noſtris & omnium Chriſtianorum Annalibus Edicta regia* in Epiſt. ad Tit. Cap. III. apud Fevretum L. I. c. 5. T. 1. p. 49. conf. Novel. Juſtiniani 137.

(*d*) Vide ſupra §. 101. axioma 5. & not. k. unde hoc Jus fluit, quatenus nempe ejuſmodi abuſus Reipublicæ nocent, & religioſa eſſe deſinunt. Vide ad Rom. c. XVI. v. 18. ad Cor. I. c. I. 15. 19. 20. II. ad Cor. V. 13. ad Gal. II. v. 4. I. ad Tim. VI. 5. I. Petri I. 18. II. Petri II. 19. *In hoc Reges*, ſunt verba S. Auguſtini, *ſicut ei divinitus præcipitur, Deo ſerviunt in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohibeant non ſolum, quæ pertinent ad humanam Societatem, verum etiam ad divinam Religionem* L. 3. contra Creſc. Cap. 51. Conf. c. de Martini l. c. §. 214.

(*e*) Pertinent eo inter alia *Proceſſiones, ſacræ peregrinationes, confraternitates* &c. de quibus omnibus ex illo axiomate V. & not. k. §. 101. judicium ferri debet. *Videlicet nemo quidem ſacratas ad ædes peregrinandi morem non religioſiſſimum eſſe dicet.* Etenim fundatur mos iſte & locis ſacrarum litterarum & teſtimoniis ſanctorum Patrum quamplurimis, Deut. 16. v. 16. 1. Reg. 1. 3. Reg. 3. Luc. c. 2. Actor. 8. Chryſoſt. Homil. 8. in Epiſt. ad Epheſ. Hieronymus Epiſtol. 17. de obitu Paulæ S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 86. Generatim tamen & hæc ſcripturæ loca & hæc Patrum teſtimonia loquuntur, neque ad ea omnia, quæ te fortaſſe circumſtare poſſunt, ſeſe extendunt. Specialem videlicet conceſſæ tibi a Deo ſanæ rationi, & in ſtatu civitatis Tuo Principi determinationem relinquunt. Hinc ſi propria tui ſuſtentatio, ſi uxor, ſi liberi, ſi patria tuas domi operas neceſſario poſtulant, ad religioſam ceteroquin ejuſmodi peregrinationem te peſſime determinares, & ut hoc intermittatur, conſtitutio ſummi Tui Principis te juſtiſſime ſtringet.

(*f*) Argumenta ejuſdem axiomatis V. Ceterum eſt notiſſimum:

1. Numerum feſtorum jam toties ab ipſis Conciliis *Maghſeldenſi*, *Burdigalenſi*, *Conſtantienſi*, *Trevirenſi*, eſſe reductum.

2. Ipſos Pontifices agnoviſſe, nimium feſtorum numerum & Religioni & Reipublicæ obeſſe, veluti *Urbanus* VIII. in Bulla a. 1642. edita ad fervorem torpeſcentem, pauperum clamorem, otia, vanitates, & vitia alia, magnam offenſionem ſimulque gravem animarum jacturam cauſantia, quæ his diebus nimis concurrunt, provocat; & quam in rem etiam Benedictus XIV. teſtimonium adducit illorum, qui in Regionibns Catholicorum & proteſtantium peritiſſimi aſſerunt: ideo has majoribus divitiis affluere & proteſtantes familiis ſuis commodius conſulere poſſe, quia ibidem plures pro operibus conficiendis dies numerantur. Omnia hæc quoque noviſſima illa factam Auguſta providentia in terris noſtris feſtorum deminutionem probans Bulla Clementis XIV. complectitur. Conf. cl. de Riegger Lib. 2. decret. Tit. 9. de feriis §. 674. & ſeq. & cl. de Martini Poſit, de jur. Civit. §. 227.

(*g*) Ipſa quidem Religio ſpectata ſua eſſentia uti etiam §. 101. axiomate IV. ſtabilivimus, nunquam nocere poteſt; poteſt autem id Religionis prætextus, de quo n. k. ejuſdem §. a me animadverſio facta eſt. Ejuſmodi ergo prætextum ſimpliciter Imperans juxta axioma III. jure debere defenſionis avertit, quia &, reipublicæ nocet, & vel ideo juxta axioma IV. dogma eſſe nequit. Neque objicias: Eccleſiam

in

in Dogmaticis eſſe infallibilem, & a nobiſmet ipſis Imperanti jus dogmata determinandi ſupra eſſe negatum. Etenim adverte

1. Dogmata Religionis noſtræ, eſſe veritates ſupra rationem poſitas; itaque

2. Dum Eccleſiam in dogmaticis infallibilem confitemur, nos nil aliud defendere, quam quod ſapientiſſimum Numen in iis veritatibus, quas nos ipſi aſſequi non poſſumus, de ſalutis tamen neceſſitate percipere debemus, vel hac de cauſa neceſſario Eccleſiæ infallibilitatem dederit;

3. Eſſe quoque Eccleſiam infallibilem in determinandis moribus ad æternam ſalutem neceſſariis. Sed ceſſare ſufficientem infallibilitatis rationem

4. In illis decidendis, quæ plane non ad Eccleſiam, ſed civitatum Rectores pertinent, & ab his unice cognoſcuntur, hinc

5. Facile contingere poſſe, ut Eccleſia, ſtante ſua in ipſis veritatibus ſupra rationem poſitis infallibilitate, præter eas quidquam adnectat, quod plane ſupra rationem non poſitum, & reipublicæ nocivum eſſe ab Imperante, aut quovis Juris naturalis, & publici prudente quam optime intelligitur. Tum ergo

6. Ab imperante minime quid dogmatici *poſitive* decidi, ſed ſolummodo recte *negari* ſimile quid, quod naturali civitatum fini adverſum ſana ratio dictat, non tantum juxta axioma IV. non dogma eſſe poſſe, ſed etiam juxta axioma V. omnino ceſſare eſſe religioſum.

Conf. de Martini l. c. §. 212. & 213.

(*b*) Votum eſt *promiſſio ſpontanea & deliberata Deo facta de meliori bono*. Pone modo, ab aliquo quid reipublicæ nocivum voveri, & vide, num hoc illa definitione ſalvetur. Primo omnium jam nullam *ſpontaneitatem* deprehendo in iis, quæ quia naturali civitatis fini ſunt contraria, jure naturæ prohibentur, quæque ſpectato noſtræ ſubjectionis civili ſtatu, noſtro amplius arbitrio non relinquuntur. Neque putes hic *ſpontaneitate* tantum libertatem phyſicam deſignari, ſiquidem & ad hoc, ut actio juſtam ex omni parte libertatem habeat, etiam *libertas moralis*, etiam *libertas a ſubjectione* requiritur. Sed & porro in iis, quæ propter reipublicæ ſalutem prohibentur, de juſtitia hujus prohibitionis omnis ceſſat ſubditorum *deliberatio*, quandoquidem hanc cognitionem ad ſolum Imperantem pertinere ex natura Majeſtatis intelligitur. Quam gravi igitur illi in errore hærent, qui rem omnem jam evictam putant, modo ad promiſſionem Deo factam, & illud Apoſtoli, *oportet magis obedire Deo quam hominibus* provocent; non conſiderantes, talem promiſſionem, quæ civitatis fini repugnat, civitatum auctori ne quidem fieri debuiſſe, atque ab eodem, dum nil legibus naturalibus contrarium velle poteſt, prorſus non eſſe acceptatam. Injungit ſine dubio numen, ut vota impleas ejuſmodi, quæ vota eſſe poſſunt; & tum oportet magis obedire Deo, quam hominibus. Exſculpere autem obedientiam erga Deum in iis, quæ Deo contra Dei legem voviſti; & inſano ſub hoc prætextu obedientiam Imperantibus præſtandam removere, vel profecto tam divinæ quam humanæ Majeſtati injurioſum eſt. Quæ re jam in voto Reipublicæ pernicioſo illud omni voto eſſentiale *melius bonum*, ſi circumſpectis his omnibus deprehendi adhuc poſſe tibi videtur. Deum immortalem! privato cuivis conceditur Jus vota uxoris ſuæ in perniciem familiæ & rei domeſticæ facta irritandi; Imperans autem contra vota non tantum unius familiæ & rerum privatarum Bono, ſed bono totius Reipublicæ adverſa, hoc Majeſtatis eſſentiali jure ſpoliatus eſſe deberet? Reflecte tantummodo ad axioma III. IV. & V. §. 101. Conſ. cl. de Martini l. c. §. 218.

(*i*) Ut jura Principum circa matrimonia rite intelligamus, ante alia diſtinguere oportet ſponſalia *de præſenti* a *ſponſalibus de futuro*. Enim vero ſub *ſponſalibus de præſenti* intelligitur jure noſtro is ipſe contractus, quo duæ perſonæ diverſi ſexus ſocietatem ſobolis procreandæ & educandæ cauſa actu ineunt, & qui, quatenus legibus naturæ & ſtatutis cujuſque gentis civilibus eſt conformis, *matrimonium legitimum*; quatenus vero cum intentione Sacramenti & ſecundum normam circa ipſum Sacramentum ab Eccleſia definitum celebratur, *matrimonium ratum* audit; atque demum, ubi conjunctio corporum, quorum neutrum antecedenter ſimul ſimulque perpetuo impotens coeundi eſt, acceſſerit, in *matrimonium conſummatum* abit. *Sponſalia autem de futuro* ut vel ex terminis patet, mutuum de celebrando hoc matrimonii contractu ſunt pactum, atque adeo acceptata utrinque promiſſio & repromiſſio futurarum nuptiarum. Conſideremus Jus Principis primo circa ſponſalia, dein circa ipſa matrimonia.

I.

JUS PRINCIPIS

Circa Sponſalia.

Quemadmodum in civilis ſubjectionis ſtatu promiſſiones omnes omniaque pacta non aliter contrahi queunt, quam ſub conditione: *Si & quamdiu illi, quibus a Deo actiones noſtras ad civitatis finem dirigendi poteſtas obtigit, eoſdem huic fini non adverſari judicaverint*, ita quoque ſponſaliorum contractus & celebrandus, & jam celebratus etiam, eatenus ab Imperantis civilis arbitrio dependet, atque adeo ſpon-

ſponſalia etiam inita irritanti ejuſdem ſubjacent judicio. Sed quorſum, mihi ait quiſpiam, aſſumto hoc axiomate deveniemus? an non ita etiam matrimonia jam contracta ex eo, quod civitatis ſaluti adverſari incipiant, irritanti civilis Imperantis ſententiæ ſubjicientur? Aſſumtum ſane axioma ideo, quia naturali jure fundatur, quam certiſſimum eſt, & certo neque civium ullus quid civitatis ſaluti adverſum valide ſpondet, neque civis ullius ſponſiones jam initæ cum civilis ſalutis detrimento perdurare queunt; ſalvo autem hoc certiſſimo axiomate ad objectum de matrimonio dubium tam facile, quam ſolide reſpondetur. Etſi enim contractus & cunctæ noſtræ promiſſiones in ſtatu ſubjectionis ab arbitrio eorum, qui nos ad præfixum finem dirigendos habent, obtutu hujus finis non tantum quoad ſui valorem, ſed etiam quoad durationem dependeant, quia tamen id generatim de ejuſmodi actionibus & mediis intelligendum, quæ non jam ex ipſa *divina lege* certam atque conſtantem determinationem accepere, hinc ſi matrimonium ſimul valide contractum, ſimulque *conſummatum eſt*, eo ipſo nulli amplius humanæ ſeu eccleſiaſticæ, ſeu civili poteſtati ejus ſubjacet duratio, quandoquidem clariſſimo Salvatoris noſtri præcepto determinatum eſt, ut eos, qui *jam non ſunt duo, ſed una* CARO, & *quos ergo Deus conjunxit,* HOMO *non ſeparet*, ſeu quod idem eſt, ut matrimonium vere tale & conſummatum per nullum hominem atque adeo neque privata, neque publica auctoritate queat diſſolvi Matth. XIX. v. 5. & ſeq. Veluti quidem omnes humanæ actiones, quatenus ad ſalutem æternam referuntur, ita & ſponſalia eatenus ad Eccleſiaſticum conſcientiæ forum pertinent; verum veluti *contractus omnes*, ita & *ſponſaliorum contractus*, ex natura ſua non ad aliud externum quam judicis laici ſpectat Tribunal, ubi ſcilicet quæcunque prolata de obligatione ineundi matrimonii aut reparandi damni ſententia, nunquam non ea omnia, quæ ad contrahendum ipſum matrimonium deſiderat Eccleſia, judici Eccleſiaſtico ſalva relinquit; *Sic ad Eccleſiaſticum Judicem, cum ei adſunt ſponſi, antequam ipſos ad contrahendum in facie Eccleſiæ admittat, adhuc in tuto manent perquiſitio & cognitio ſuper impedimentis Canonicis, examen in doctrina Chriſtiana, denuntiationes, eaque omnia quæ ab Eccleſia ſtatuta ſunt, quibuſque nullo pacto ſecularis judex ſe ingerere licet. Invenit autem eccleſiaſticus judex cauſas canonicas, quæ actualem matrimonii contractum impediant; tunc re ipſa damnum & intereſſe excidunt, etiam injuſte invito ſeculari judice; nemo enim debet alterius damna ſancire, promiſſioni ſuæ non ſatisfaciens, quam per ſe implere non poteſt. Conſequenter* nulla hic colliſio aut contradictio metuenda. *Sin autem pars abnuens in ſua perſiſtat ſententia, & impoſitum damnum & intereſſe præſtare malit, quam nubere; & poſtea ſentiat in ſua conſcientia ſe ex admiſſa injuſtitia gravatum; ſpectat hoc ad forum poli, in loco Confeſſionis, nec amplius ad judicium externum* &c. ſunt verba illius doctiſſimi ac cordati viri, qui ſcripſit: *Illuſtratio objectionum quorumdam Canoniſtarum contra leges Bavaricas de ſponſalibus &c.* 24. Julii 1769. Si tamen ex Imperantis civilis privilegio ſeu expreſſo ſeu tacito ſponſaliorum cauſas alicubi Epiſcoporum Tribunalia habent, abſque dubio ejuſmodi Epiſcopis, quamdiu civili Imperanti placuerit, ſponſaliorum cognitio adeo competet, ut vel ideo, quia hac in parte non poteſtatem proprie Eccleſiaſticam, ſed juriſdictionem ſibi demandatam a civili Imperio ejuſdem nomine exercent, nullatenus ſummi Pontificis aut ejuſdem legatorum arbitrio turbari queant.

II.

JUS PRINCIPIIS

Circa ipſum Matrimonium.

Cum Matrimonium & ſit contractus & ſubinde demum, ſi debita adſint requiſita, rationem *ſacramenti* ſibi *accedentis* nanciſcatur, clariſſime patet: I. etiam a fidelibus, ſi ſcilicet debita ad ſacramentum requiſita neglexerint, matrimonium abſque ſacramenti participatione valide contrahi poſſe. Enimvero Chriſtus non ad ſolvendam naturalem contractus legem hoc ſacramentum inſtituit, ſed hunc contractum ineuntibus inſuper eam fecit gratiam, ut *in Chriſto & in Eccleſia*, atque adeo poſitis illis, quæ in hac Eccleſia requiruntur, *magni ſacramenti* participes fieri queant, ad Epheſ. c. 4. v. 32. Quod ſi igitur *annexa* hac gratia matrimonium contrahentes uti nolit, ipſum tamen *principale* ſeu *contractum* (niſi eorum obſiſtant leges, quibus in ſtatu ſubjectionis civilis contractus ſubjacet) ſubſiſtere poſſe, tamdiu nobis certiſſimum videbitur, quamdiu non demonſtraverint adverſarii, a Chriſto rationem ſacramenti non huic contractui annexam, ſed ita inſtitutam eſſe, ut ſi ſacramentum excludatur, ipſe etiam evaneſcat contractus: *Specialiter faveant, aperte, ut omnes & ſinguli intelligant, declarare: quomodo Chriſtiani baptizati puberes, qui Sacramentum Matrimonii non credunt (ſicuti nempe Proteſtantes) ſine ulla intentione, imo contra poſitivam ipſorum voluntatem, Sacramentum facere poſſint? Et ſic, quid in poſſibilibus eſſe poteſt character Sacramenti abſque gratia ſacramentali inſcie & invite acceptus?* Conf.

pau-

paulo ante laudat. Tract. *de Bavarica ſponſaliorum lege* ſub finem; & celeberrimum Theolog. Melch. Canum, qui de locis Theol. L. VII. cap. 5. clare dicit. *Non igitur Eccleſia docet, quodlibet fidelium matrimonium Sacramentum eſſe*. Ceterum haudquaquam iis aſſentior, qui inde falſiſſimum deducunt corollarium: a Principibus etiam lege conſtitui poſſe, ut quis, qui init matrimonium id non cum ſacramenti percipiendi intentione contrahat. Ubinam enim illa Principum fundatur poteſtas, qua prohibere poſſent, ne quis inviſibilis divinæ gratiæ, ſaluti Rerumpublicarum nullo poſſibili modo nocivæ, ſeſe reddat participem. Quidquod nemo hæſitet in arguendo etiam eos peccati, qui divinorum Beneficiorum adeo incurii ſuo matrimonii valido contractui, ejus, cujus ſimul participes fieri poſſent, percipiendi ſacramenti non adnectunt intentionem. II. Matrimonium, quatenus eſt *contractus*, in ſtatu civitatis ejuſdem Imperanti, quatenus vero rationem ſacramenti & relationem ad finem æternum habet, eorum, qui a Spiritu ſancto poſiti ſunt regere Eccleſiam Dei, ſacro ſubeſſe Tribunali; atque hinc ab Imperante civili pro ſalute reipublicæ impedimenta matrimonii, ut contractus civilis eſt, non minus ſtatui poſſe, ac impedimenta matrimonii, ut Sacramenti obtutu Religionis ac Eccleſiæ Rectoribus ſtatui queunt. Etenim religio, ut jam toties oſtendimus, Reipublicæ nocere non debet, ideoque actus Reipublicæ nocivus, qualem declarare ſolus poteſt Imperans, nunquam in verum abibit Religionis actum, & ſacramentum, ad quod *contractus civiliter bonus* nemine dubitante requiritur. Qua etiam de cauſa nunquam Eccleſia quamdam poteſtatem impedimenta matrimonii cum detrimento civilis ſalutis ſtatuendi aut multiplicandi ſibi competere tuebitur; veluti viciſſim civilis imperans ipſe impedimentis ab Eccleſia cum omni civili indifferentia ſtatutis nulla ſeſe auctoritate eximet. Qua denique de cauſa nec Principes in Impedimentis Eccleſiaſticis humanis civiliter indifferentibus, ſed ſoli Eccleſiæ Rectores; nec hi in impedimentis ſalutem Reipublicæ tangentibus, ſed ſoli Principes diſpenſare queunt. Verum ut ultra hæc de impedimentis matrimonii non minimum quid meis verbis dicam, concluſionem de tota hac materia ipſiſſimis verbis cl. de Riegger ex ejuſdem Inſtit. Juriſp. Eccleſ. P. IV. noviſs. edit. pag. 57. & ſeq. lubens refero. Hanc ipſam ſententiam, quod poteſtas Eccleſiæ ſtatuendi impedimenta dirimentia ex beneficio Principum originem trahit, nuperrime docuit vir religioſus & eruditiſſimus BENED. OBERHAUSER *Ord. S. Benedict. in Apolog. hiſt. crit. diviſarum poteſt*. Idem jam dudum ſenſit PETRUS SOTO I. c. & CHRIST. LUPUS *in Diſſ. I. proœm. cap.* 10. *Tom. III. ſchol. in canon.* ubi ſic ratiocinatur: *Etenim matrimonium non ſolum eſt chriſtianum ſacramentum, ſed & civilis contractus, unde dirimentia impedimenta ſtatuere dudum ſibi arrogarunt ac reſervarunt Chriſtiani romanorum auguſti*: POSTERIORIBUS DUNTAXAT SÆCULIS ECCLESIA FUIT NACTA ISTAM POTESTATEM, HINC ANTIQUI PATRES ET CANONES RARO ISTORUM IMPEDIMENTORUM, UTPOTE AD SUAM POTESTATEM NON SPECTANTIUM, EX PROFESSO MEMINERUNT. Audiamus viri in noſtra ſcientia facile principis VAN-ESPEN *l. c. cap.* 2. §. 12. hac de re ſententiam: *Nequaqaam dubitamus, quin Eccleſia habeat auctoritatem ſimilia impedimenta inducendi, prout per Concil. Trid. definitum eſt can.* 4. de SACRAM. MATRIM. *Sed & hoc fatendum eſt, concilium non definiviſſe, utrum ex* CHRISTI INSTITUTIONE, *vel utrum ex* PRINCIPUM INDULGENTIA *tacita vel expreſſa hæc auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Eccleſiæ competat*. Quidquid ſit, ut diſputationi noſtræ finem imponamus, illud ſilentio minime prætereundum eſſe arbitramur; poſterioribus demum ſæculis pietate & indulgentia chriſtianorum principum exercitium juris ponendi impedimenta dirimentia Eccleſiæ ſoli relictum eſſe videri adeo, ut imperantes etiamſi civiles legibus ſuis matrimonii impedimenta dirimentia ſtatuant, ea tamen ſalvo manente vinculo & ſacramento ad ſolos effectus civiles reſtringi ſoleant. Huic ſententiæ calculum ſuum adjicit ſæpe laudatus COLLET *ſupra cit. ſect. III.* §. 2. *pag.* 450. *ſeq.* ubi hanc concluſionem ſubjungit, multiſque argumentis firmare conatur, nullis regum Galliæ edictis matrimonia a filiis ſine parentum aſſenſu contracta quoad vinculum irrita declarari. Add. BENEDICTUS XIV. *de Synod. diœceſ. Lib. IX. cap. II.* §. 5. Parlamenta tamen regni Galliæ ſine ambagibus talia matrimonia caſibus obvenientibus ſimpliciter ita nulla & irrita declarare ſolent, ut ad novas nuptias tranſire liberum ſit. Confer *Memoires chronologiques & dogmatiques ad A.* 1635. *Tom. II.* Quid enim obſtat, quo minus principes, ſi id neceſſarium eſſe perſpexerint, pleniſſimam ſuam hac in re poteſtatem revocare, atque exercere valeant? *D'ou il faut conclure, que l'on ne doit pas ſuivre l'opinion de quelques theologiens, qui pretendent, que les princes ſeculiers ont abandonnë a l'egliſe depuis pluſieurs ſiecles le droit de mettre des empechements dirimans aux mariages & que l'egliſe a preſcrit contre eux le pouvoir d'en etablir, de noveaux. D'allieurs une faculté attachée à la qualité de ſouverain n'eſt ſujette à aucune preſcription.* HERICOURT: *Les Loix Eccleſ. de France pag.* 65. *Part. III.* Ita cl. de Riegger. Et univerſe circa cauſas matrimoniales notandum, eas quidem & in ſo-

in foro interno & ſi de valore ſacramenti agitatur quæſtio, ad judicium Eccleſiaſticum pertinere; verum quotieſcumque circa matrimonium aut ſub ratione contractus, aut quoad quæſtionem facti, aut obtutu civilium obligationum ex matrimonio vel divortio conſequentium quid ingruit, toties propriam judicis civilis ſeſe exercere jurisdictionem, nilque horum omnium ad externum referri poſſe Eccleſiaſticum Tribunal, niſi huic ex civili *privilegio* ejuſmodi jurisdictio, ſemper tamen ideo Summi Principis nomine exercenda, concedatur.

§. 106. Poteſt quoque VIII. Princeps cavere ne hæreſes oriantur, (*a*) & proinde cum Jus ad finem tribuat jus ad media 1. convocare concilia (*b*) 2. exquirere conſilia diſperſorum Epiſcoporum (*c*) 3. non tolerare impugnatores veræ Religionis, 4. eos pœnis (*d*) perſequi. 5. inſtituere colloquia, (*e*) 6. diſputationibus theologicis imponere finem, (*f*) 7. prohibere libros pernicioſos (*g*).

(*a*) Jus hæreſes ſchiſmata, perverſaſque doctrinas præcavendi, quando quidem hæc omnia non tantum Eccleſiam ſed & rempublicam turbant, ex axiomate III. & VI. profluit; vide S. Auguſtin. Epiſt. 185., alias 50. n. 25. & L. III. contra. Creſc. cap. 46. & conf. cl. de Riegger l. c. §. 430. & cl. de Martini l. c. §. 203. 204. 241.

(*b*) *Concilia Eccleſiaſtica* ſeu *conventus perſonarum Eccleſiaſticarum ad negotia Eccleſiæ collatis ſuffragiis definienda conſtitui* profecto neceſſaria ſubinde ſunt perverſas opiniones tollendi remedia. Hinc etiam novimus & primorum ſeculorum ſynodos eſſe ab Imperatoribus convocatas, & non tantum hoc jus (quia videlicet ipſe convocationis actus nil ſpirituale involvit, iisdem non fuiſſe controverſum, ſed etiam Leonem P. ad Theodoſium ſcripſiſſe, ut *Suggeſtioni ac ſupplicationi dignetur annuere, & intra Italiam haberi jubeat Epiſcopale concilium*; addendo motivum, quia *pro integritate fidei Chriſtianum Principem convenit eſſe ſollicitum*. Eſt videlicet Eccleſia in Republica, atque ideo Imperans & ut Religionis Advocatus Epiſcopos qua tales de ipſorum obligationibus monere & ut reipublicæ defenſor iisdem qua ſubditis præcipere poteſt, ut id munus, ob quod in Republica hoc vitæ genus profitentur, etiam rite adimpleant. Quantumvis igitur hodie Imperatores noſtri *Concilium œcumenicum* ſeu *talem conventum, qui prælatis ex Univerſo orbe Chriſtiano legitime congregatis & Pontifice vel per ſe, vel per alios præſidente ad negotia univerſæ Eccleſiæ definienda inſtituitur*, propterea convocare nequeant, quia totius orbis Imperium non habent, id tamen non obſtat, quo minus omnes Chriſtiani Imperantes ſimul, ſi conſentiunt, concilium œcumenicum; aut ſinguli in ſuis terris concilia provincialia convocare poſſint. Vide, quæ cl. de Riegger pro maxima ſua eruditione adducit l. c. §. 34. & ſeq. 431. & 432. & cl. de Martini l. c. §. 230.

(*c*) Non minus hoc ac præcedens Jus ex axiomate III. & IV. colligitur, ſimulque patet, in defectu concilii, quod videlicet omni momento convocari nequit, id opportuniſſimum erroribus antevertendi eſſe remedium. Conf. cl. de Riegger l. & §. c. & cl. de Martini l. & §. c.

(*d*) Impugnatores veræ Religionis & Religionem & Rempublicam turbant, atque Jus Principis utramque defendendi utique non otioſum & imbelle, ſed efficax eſſe debet, ergo ejuſmodi impugnatores non tolerandi, & modo, ſi lenior non ſufficit, etiam vindicante perſequendi jus ac obligationem Principi eſſe quis negabit? Neque id ratiocinium contrarium eſt illi, quo ſupra Religionem in intellectu & voluntate actibus internis externæ violentiæ neſciis conſiſtere, & univerſim Evangelium prædicatione, non ferro & igne propagari debere demonſtravimus. Etenim

1. *Libertas conſcientiæ*, quæ cuivis per Imperium civile ſalva eſſe debet, non in eo poſita eſt, ut alios quoque impune ſeducere & rempublicam turbare liceat, ſed tantum in eo, ut quis ad illam religionem, de qua nondum perſuaſus & convictus eſt, pro vera agnoſcendam, vi externa (intellectum videlicet non corrigente) adigi nequeat.

2. Ipſa hæc conſcientiæ libertas minime læditur, ſi Imperans ob conſervandam unius modi fidem (extra colliſiones certo Reipublicæ utiliſſimam) alienæ Religionis conſortes; aut in aliam ſui territorii partem ſecedere, aut ex toto ſuo territorio emigrare jubeat, & refractarios non tanquam in Religione, ſed tanquam contra legem Principis contumaces perſequatur.

3. Quoque conſcientiæ libertati nil demitur, ſi imperans contumaciam puniat eorum, qui ea, quæ corrigendo intellectui idonea ſunt, ſaltem percipere juſſit, non obtemperant.

4. Denique minime omnium favor hujus libertatis tunc prætexi poteſt, quando haudquaquam intelligentiæ, ſed tantummodo voluntatis defectus, & mera malitia ſubverſatur. Manebit quidem voluntas eatenus ſemper arbitraria facultas, quatenus poſſibile eſt, ut pertinaciſſimus violentiam potius quam veritatem ſuſtineat. Verum inde non ſequitur, Principi non jus

jus eſſe hujuſmodi voluntatem *hypothetice*, ut ajunt, cogendi: videlicet, ut niſi eadem ac aperta malitia receſſerit, certis pœnis ſubjiciatur. Secus quiſpiam rectiſſimum aliquid, quod agere nollet, ſuæ conſcientiæ libertati contrarium eſſe ſæpe cum reipublicæ detrimento aſſerere poſſet. Hinc etiam juſtitia illorum adparet remediorum, queis Imperans eos, qui Religionem quandam profitentur, ad actiones eidem conformes ponendas adſtringit. Nam ab eo, quod Eccleſia obtutu Religionis mediis temporalibus deſtituitur, etiam Principem, penes quem gladius temporalis eſt, iis deſtitui non recte inferes, neque ab eo, quod Religionem armis propagare vetitum eſt, etiam eandem armis, ſi neceſſitas exigit, defendere aut malitiam coercere prohibitum eſſe concludes. Reflecte tantummodo ad axioma III. & VI. §. 101. atque nunc facile intelliges, quomodo accipienda ſit illa ſanctio quam Carolus Calvus a. 735. ita edidit, *ut comites vel Reipublicæ miniſtri ſimul cum Epiſcopo uniuſcujuſque parochiæ ſint in miniſteriis illorum, quando idem Epiſcopus ſuam parochiam circumierit: & quos per excommunicationem Epiſcopus adducere non potuerit; ipſi regia auctoritate, & poteſtate ad pœnitentiam & ſatisfactionem adducant*. Capit. Tom. II. p. 59. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 433. & ſeq. & cl. de Martini l. c. §. 205. 209. 210. 211. 234.

(*e*) Hujuſmodi colloquia, ut media Religioni & reipublicæ pacem reſtituendi tentavit Carolus V. Hagenoviæ & Wormatiæ 1540. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 435. & cl. de Martini l. c. §. 231.

(*f*) Experientia ſane docuit nimium ferventes illas Theologorum diſputationes non tantum alienatos non conciliaſſe animos, ſed eoſdem potius adeo exacerbaſſe, ut quanto durius habiti ſunt, tanto audentiores ad extremas perverſi ſui ingenii, ſimulque externas vires fuerint progreſſi. Quidquod ſubinde pars una alteram fervoris exceſſu retrahere, aut ſupprimere tentans ipſa quoque in profundas aliarum opinionum inſanias inciderit? Adparet itaque, quam injuſte quidam reprenhendant illam a Carolo V. a. 1548. editam conſtitutionem, quæ *Interim* adpellatur, qua videlit Imperator, donec a concilio deciſio fuerit ſecuta, permittendum Proteſtantibus Religionis ſuæ exercitium determinavit. Enimvero 1. contra Catholicorum normam ſolummodo *communionem laicorum ſub utraque ſpecie, & Sacerdotes conjugatos tolerabat*, 2. tolerabat tantummodo, quod tolli penitus non poterat, atque adeo non pro conſcientiarum ſecuritate plenam, ſed pro reipublicæ ſalute minus plenam determinabat permiſſionem, veluti ejuſmodi minus plenas permiſſiones in veteri teſtamento ob duritiem cordis Judæorum factas complures legimus; 3. tolerabat tantummodo *proteſtantibus* non Catholicis 4. denique ſimul ille acceſſit *finis optimus*, ut novæ profeſſionis auctores veritati & ſaluti tanto propiores ab omni errore facilius traduci poſſent. Neque opponas non licere committere malum, ut eveniat bonum. Etenim hic non in caſu actionis commiſſæ, ſed permiſſionis verſamur. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 436. & ſeq. cl. de Martini l. c. §. 229. Exercit. de lege Nat. §. 34. de lege Nat. §. 324. & 354. Sed etiam inanes ſcholaſticorum quæſtiones, quæ inter eoſdem diverſas & altercantes partes ſine Religionis, veræ ſcientiæ, & Reipublicæ emolumento progignunt, climandi jus & obligationem Princeps habet: uti *Auguſtiſſimi noſtri Principes id ipſum Jus per celeb. Abbatem Steph. Rautenſtrauch propoſito tradendæ Theologiæ eximio ſchemate ſunt executi.

(*g*)

Vide in Jure Juſt.	Inter leges Imp. R. G.
L. 3. c. de SS. Trin.	R. Spir. de an. 1521.
H. 10. C. de Epiſc. Aud.	— Norimb. — 1524.
Nov. XLII. c. I. §. 2.	— Auguſt. — 1530.
	— Ratiſb. — 1541.
In Jure auſt.	— Auguſt. — 1548.
Edict. Ferdinandi III. de	— Erford. — 1567.
anno 1628.	— Spir. — — 1570.
Taceo ea, quæ ab Aug.	— Francof. — 1577.
Noſtra Imperatrice	Edictum Caroli VI. vide
hac in parte decreta	Elect. Jur. Publ. Tom.
& nobis omnibus no-	VIII. n. 3. p. 77. & ſeq.
tiſſima ſunt.	Capit. Franc. I. art. 2. §. 8.

* Libros Religioni pernicioſos ad duo ſumma genera refero. Primi generis illos eſſe cenſeo, qui nil aliud quam Religionis noſtræ contemptum & cavillationem, aut alienæ Religionis Doctrinam aut inductionem ad mores peſſimos ſeu aperte ſeu tacite comprehendunt; atque hi ob ſeductionis periculum ab omnibus, quorum non vi muneris eos habere intereſt, profecto quam longiſſime removendi ſunt. Secundo generi adnumero illos, qui *aut inanibus fabulis aut ſaltem non undequaque fideli & omni acceptione digno ſermone* contra monitum Chriſti Matth. C. VIII. v. 21. & ſeq. nec non Apoſtoli I. ad Tim. c. 1. v. 4. & c. 4. verſ. 7. & 9. ſpurium ac periculoſum fovent animarum Zelum. Præterquam enim, quod libri hujuſmodi *ad genuinam pietatem non exerceant*, & ejuſmodi holocauſta, queis Numen non delectatur, cum reipublicæ quærant detrimento, atque adeo a vero & primo religionis fine ſint alieniſſimi, id etiam efficiunt, ut multi detecta unius alteriuſve argumenti fictione vel infirmitate, ſubinde etiam veriſſima in ſuſpicionem vocandi, & in Religionem ejuſque miniſtros cavillandi occaſionem nanciſcantur. Quidquod non reformidem edicere,

re, id genus librorum ipſis libris hæreticis nonnunquam eſſe periculoſius. Legunt videlicet acutiores quidam non turbatis oculis ſolitos hæreticorum ſermones tanquam errores notiſſimos, immo his non attentis fructum hauriunt etiam ex libris illis, qui quia quandam ſcientiam explanant, & licet una alterave propoſitione, non tamen proprie, in Religionis læſionem directi ſunt, non tam hæretici quam ab hæreticis ſcripti appellari debent. Econtra ſimulac ibi, ubi minime ſuſpicabantur, fictionem detegunt, ſi non ſunt ſolidiſſimi, ſi non Zizania a Tritico diſtinguere & ſeparare norunt, ſtatim proh dolor! abrepti ſuo liberrimo deinde feruntur ſpiritu. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 438. cl. de Martini Poſit. de Jure Civit. §. 229. atque etiam Cl. P. Gazzaniga in Præ. ad prælect. de Deo 1775.

CAPUT II.

De Jure ſummi Principis peculiariter conſiderato circa actiones Miniſtrorum Religionis.

§. 107. Vel his; quæ hactenus dicta ſunt; jam etiam de actionibus ipſorum Religionis noſtræ miniſtrorum ſpeciatim judicare licet. Sunt enim eorundem actiones ita comparatæ, ut vel ad ſalutem hominum æternam omnino ſint neceſſariæ (*a*) vel tantum circa ejuſmodi verſentur objecta, quæ quidem cultui divino idonea, ſed ſine religionis detrimento abeſſe & poſſunt, & in Colliſione cum Reipublicæ bono debent etiam (*b*) vel ad finem omnibus civibus communem, nimirum felicitatem externam referantur (*c*). Atque hinc ſi illud eſt, ſola poteſtas Eccleſiaſtica (*d*), ſi iſtud, dum civilis deprehenditur indifferentia, eadem poteſtas ſacra; quatenus vero ea indifferentia inquiri & ſi contrarium deprehenditur, Reipublicæ ſalus curari debet, poteſtas Regia; (*e*) ſi hæc denique, itidem ſola temporalis poteſtas jure optimo ſuum ſibi locum vindicat (*f*).

(*a*) Quæ nempe ad internum Eccleſiæ Regimen pertinent, veluti docere, prædicare Evangelium, Sacramenta adminiſtrare &c.

(*b*) Veluti inſtitutiones confraternitatum Religioſarum, ſacræ peregrinationes, ſolennes proceſſus feriæ &c.

(*c*) Puta: quoad onera reipublicæ præſtanda, contractus civiles, civiliaque delicta, & quæcunque Juriſdictioni Principis civili aut criminali ſunt propria.

(*d*) Modo non ſub prætextu doctrinæ & Prædicationis Evangelicæ, aut Sacramentorum adminiſtrationis & Regiminis interni nociva reipublicæ conſilia, quæ videlicet ad Evangelium, Sacramenta & Regimen internum profecto non pertinent, diſſeminentur.

(*e*) Quid autem? ſi poteſtas Eccleſiaſtica aliquid civiliter indifferens eſſe aſſerat, id ipſum vero neget poteſtas Regia. An non hic opus eſt, ut veluti inter Imperantes a ſe invicem non dependentes & in ſtatu naturali inter quoſvis æquales contigit, res omnis amica compoſitione terminetur? Enimvero utut hoc poſtulatum alicui, cui penes ſolida principia non ſimul præſentiſſima ſemper perſpicacia eſt, non tam injuſtum adparere poſſet; ego tamen certe quid injuſtiſſimi adverſus Majeſtatem commiſſum fore exiſtimo, ſi ejuſmodi compoſitionis neceſſitati abſque diſcrimine locus concederetur. Reflectamus tantummodo, queis in caſibus inter illos, qui in ſtatu naturalis æquitatis vivunt, amica compoſitio obtineat; puto in iis, in quibus ex utraque litigantium parte jus dubium eſt. Sed anne dubium ex Imperantis parte, quod ille ſolus reipublicæ commoda & nociva agnoſcendi poteſtatem & peritiam poſſideat? anne dubium ex parte Eccleſiæ, quod illa nec rerum publicarum utilitates examinandas habeat, nec eaſdem intelligat etiam? Poſtquam ergo certiſſimum: id quod Reipublicæ nocet, ad Religionem non pertinere; poſtquam certiſſimum; jus de Reipublicæ nocivis judicandi penes ſolum eſſe Principem: poſtquam denique certiſſimum eſt, in rebus ad rempublicam pertinentibus Eccleſiam imperio profano non æqualem ſed ſubditam eſſe, neceſſitatem amicabilis compoſitionis in jure non dubio, & inter imperantes & ſubditos admittendo, ſane quid omnium maxime chymericum ſtatueremus. Cæterum non diffiteor, amicas ejuſmodi compoſitiones aliquando reſpectu ipſius reipublicæ ſalutis neceſſario atque utiliter fuiſſe celebratas, veluti exempla complura nobis Jus Eccleſiaſticum noſtræ Germaniæ exhibet. Et utique ipſa Juris publici principia ſuadent, ut Imperans etiam nonnunquam cum ſubditis paciſcatur. Neque diffiteor, contingere poſſe, ut quid, quod civiliter indifferens eſt, Imperantes tanquam nocivum declarent; ſed iterum iterumque ad Principia reflectens,

denique Eccleſiæ nec tunc remedia alia, quam queis Chriſtus & Apoſtoli amice cuncta compoſuerunt, videlicet preces, manſuetudinem, & patientiam ſupereſſe conſpicio. Conf. cl. de Martini, l. c. §. 218. 219. & 220. qui omnino legi merentur.

(*f*) Neque in iis temporalibus cauſis, in quibus exemtio clericis ab Imperante conceſſa, & facultas judicandi conſiſtoriis Eccleſiaſticis tributa eſt, hæc conſiſtoria nomine Eccleſiæ ſed nomine Imperantis judicant. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 161. uſque 164.

§. 108. Nequit igitur Princeps I. neceſſarios fidelibus demere Religionis Miniſtros (*a*). II. eoſdem extra neceſſitatis caſum ad talia civitatis adhibere munia, queis in ipſo divino cultu impediuntur (*b*). III. determinare iis normas diſpenſandorum myſteriorum (*c*). IV. ad eandem myſteriorum diſpenſationem eos requiſitis ordinibus, requiſitaque juriſdictione habiles reddere. (*d*) V. prohibere, ne iis *ſumma Reverentia, debitaque in ſpiritualibus ac civiliter indifferentibus obedientia* exhibeatur (*e*).

(*a*.) Vide ſupra §. 101. axioma VI.

(*b*) Neque hoc non promanat ex illo axiomate VI.

(*c*) Diverſa enim hæc ſunt, *determinare normas ipſas & cohibere*, ſi qui intermiſcentur, *abuſus* Vide ax. VI.

(*d*) Nequit enim generatim Princeps ſpiritualia ſibi arrogare Jura, quod & infra, ubi de juribus agemus, præcipuum erit; hinc etiam neque iis juribus, quibus ipſe non gaudet, inſtruere alios.

(*e*) Sanctitas ſane muneris ſummam reverentiam poſtulat, neque verus ipſius Religionis æſtimator is eſſe poteſt, qui ejuſdem Miniſtros vilipendit. Luc. X. 16. Joan. XIII. 10. Conf. cl. de Martini l. c. §. 203.

§. 109. Habet autem Princeps jus, unaque obligationem I. de omnibus Eccleſiæ ſociis etiam immediate ad cultum divinum deputatis toties diſponendi, quoties reipublicæ neceſſitates exigunt, ut ad eaſdem adhibeantur (*a*). II. Cavendi, ne numerus Miniſtrorum Religionis convenientem excedat modum (*b*). III. Definiendi ætatem, qua quis huic ſtatui ſe addicere poſſit (*c*). IV. urgendi, ut antea neceſſariis tanto muneri ſint imbuti ſcientiis (*d*). V. dandi iis *excluſivam*, per quos in rempublicam redundaret damnum (*e*). VI. Reſervandi quoque ſibi nominationem & præſentationem perſonarum idonearum ad munera Eccleſiaſtica (*f*). VII. examinandi genus vitæ & inſtituta perſonarum aut ſocietatum Eccleſiaſticarum quarumvis, eaſque ſi publicæ ſaluti contrariæ deprehendantur, aut reformandi aut tollendi penitus, vel ſi jam ipſa earum nocet copia, eaſdem deminuendi (*g*).

(*a*) Expletio eorum, quæ jure divino naturali & poſitivo injunguntur, nunquam clericos dedecere poteſt. Defenſio ſui ipſius, defenſio & Charitas erga tot proximos noſtros, quibuſcum communis perfectionis cauſa in civili ſocietate vivimus, & rectæ rationis & revelationis doctrina ita nititur, ut, etiamſi in neceſſitatis caſu armis fiat, clericali ſtatui non tantum non indecorum, ſed tanquam ſtatui cui exemplis prælucendi ſpecialis obligatio eſt, cumprimis ſit conveniens. Neque in malam cauſam jam illos ſupra citatos textus trahe, queis Eccleſiæ interdicitur vis & reſiſtentia; & patientia commendatur. Enim vero his textibus reſiſtere Rectori patriæ, contra eundem mediis temporalibus ſibi non conceſſis propter ſpiritualem finem uti velle, Religionem armis propagare, auctoritate propria abſque neceſſitate militiam ſectari Eccleſiaſticis perſonis prohibetur, non autem adprehendere arma, ſi ea in neceſſitatis caſu concedente & jubente principe ad Reipublicæ aut Religionis defenſionem ſunt ſtringenda. Huc igitur etiam adplicari queunt illi duo gladii ap. Luc. c. XXII. v. 36. quorum alterum ſpiritualem perſonæ Eccleſiaſticæ jure proprio, alterum temporalem concedente & jubente Principe ad neceſſariam Reipublicæ & Religionis defenſionem geſtare debent. Conf. axiomata §. 101. cl. de Riegger l. c. §. 448. & ad quæ ibidem provocat Gregorii L. VII. Epiſt. 20. & Cap. 2. de immunit. Eccleſ. nec non non quæ in hoc cap. commentatus eſt Gonzalez, item cl. de Martini *l.* c. §. 225. Et dum generatim igitur perſonæ Eccleſiaſticæ tanquam cives ab iis officiis, quæ *neceſſitas* Reipublicæ exigit, immunes eſſe non poſſunt, facile intelligitur, in tali *neceſſitate* ad omnia omnino officia, ad quæ cives tenentur, etiam perſonas Eccleſiaſticas teneri, quin ſingula hæc officia percurrere neceſſe ſit. vid.

meus

meus ord. Princip. Juriſp. Eccleſ. P. I. §. 49. not. a.

(*b*) Nimius miniſtrorum Religionis numerus non tantum Reipublicæ, quæ membris ad ejus neceſſitates requiſitis ſpoliatur, ſed etiam ipſi Religioni & ipſis perſonis Eccleſiaſticis obeſt. Præterquam enim, quod raritas æſtimationem augeat, etiam facilius & majoribus ſtipendiis reſpublica paucis perſonis Eccleſiaſticis quam nimiis ſuccurrit. Leges ab Imperatoribus hac in parte latas, exhibent nobis codices Theodoſii & Juſtiniani. Ita nempe Conſtantinus M. L. 4. Cod. Theod. de Epiſc. Eccleſ.& Cleric. T. 2. ad Ablavium Præf. Præt. *Nec temere & citra modum populi Clericis connectantur: ſed cum defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius allegetur, cui nulla ex municipibus proſapia fuerit, neque ea eſt opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare; ita ut ſi inter civitatem & Clericos ſuper alicujus nomine dubitetur, ſi eum æquitas ad publica trahat obſequia, & progenie municeps vel patrimonio idoneus dignoſcatur, exemtus Clericis civitati tradatur: opulentos enim ſæculi ſubire neceſſitates oportet, pauperes Eccleſiarum divitiis ſuſtentari* & l. 3. eodem tit. *cum conſtitutio emiſſa præcipiat nullum deinceps decurionem vel ex decurione progenitum vel etiam inſtructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum ad Clericorum nomen obſequiumque confugere, ſed eos decreto in defunctorum duntaxat Clericorum loca ſurrogari, qui fortuna tenues neque muneribus civilibus teneantur obſtricti, cognovimus illas etiam inquietari, qui ante legis promulgationem Clericorum ſe conſortio ſociaverint: ideoque præcipimus, his ab omni moleſtia liberatis illos, qui poſt legem latam obſequia publica declinantes ad Clericorum numerum confugerunt, procul ab eo corpore ſegregatos, curiæ ordinibus reſtitui, & civilibus obſequiis inſervire*. Ita quoque Valentinianus & Valens l. 17. cod. Theod. eod. Tit. *Plebejos divites ab Eccleſia ſuſcipi penitus arcent*. Ita quoque in codice Juſtinianeo ſonat l. 12. de Epiſcop. & Cler. *ſi quis curialis Clericus fuerit ordinatus, nec ſtatim conventione præmiſſa priſtinæ conditioni redditur, is vigore & ſolertia judicantium ad priſtinam ſortem manu injecta mox revocetur. Clericis enim ulterius legem prodeſſe non patimur, quæ ceſſione patrimonii ſubſecuta decuriones Clericos eſſe non vetabat*. Vide eod. T. l. 16. 42. Nov. 123. l. 17. &c. &c. Profecto, ſi legibus hiſce aliiſque ejuſmodi pluribus ipſo Principum conſenſu non derogatum eſſet; aut ſi ſimiles emanarent, iisdem adverſam intentionem habere; nec conferenti ordines nec eos ſuſcipienti liceret. Eccleſiam ab antiquiſſimis temporibus ad hæc adtendiſſe manifeſtum eſt, dum nec ſervos quidem contra voluntatem dominorum & contra leges hac in parte latas in Clerum admiſerat. *Servi*, dicitur in 81. Can. Apoſt. *ſi in Clerum promoveantur citra dominorum voluntatem, hoc ipſum operatur redhibitionem*. Quæ moderno tempore circa ordinandos obtinent, in jure Eccleſiaſtico privato dicemus. Hic enim de ſolo jure, quod Princeps circa ordinandos habet, quæſtio expedienda, veteribuſque exemplis illuſtranda erat.

(*c*) Vide quæ ſupra §. 105. Num. VI. & not. h. de votis diximus. Abſque dubio igitur profeſſio religioſa ante ætatem ab Imperante determinatam emiſſa non tantum illicita eſt, ſed & invalida. Quomodo enim votum ſubditi in detrimentum Patriæ valere poteſt, quidque operari poteſt jusjurandum, quando vinculum iniquitatis eſſe nequit? *Quando Filius Dei juveni illo Evangelii dicit*, ſequere me, *ei jam antea dixerat*, ſerva mandata, *& tum demum eum juſſit ſequi, poſtquam ipſe juvenis jam reſponderat, ſe ea exacte ſervare, Filius Dei non dicit illi*, ſubduc te mandatis & ſequere me, *ſed utique*, quia tu jam ſervaviſti quod legibus debes, ſequere me. *Boutigni de poteſtate Regis circa deſtinationem ætatis Subditorum ſuorum ad vota ſolemnia Cœnobitica requiſitæ*, pag. 132. Scilicet vocatio divina contra leges, quibus Deus nos obedire jubet, concipi non poteſt, neque ſalvator noſter dicens, *ſinite parvulos ad me venire*, intellexit *ſinite parvulos ad profeſſionem religioſam venire*. Parvulis olim in monaſteria per parentes oblatis libertas inde exeundi permanſit. Et illud, Domino Deo primos & non marcidos fructus eſſe dandos, ita explicari debet, a quovis homine Deo ferendos eſſe probæ vitæ fructus ante & etiam citra profeſſionem religioſam, quæ, ſi jam paritati phyſicæ phyſicam reponere neceſſe eſt, veluti id aliis fructibus contingit, neque ante certos annos neque a quavis arbore depoſci poterit. Profecto, quem honorare cupis, honorabis minime, mittendo fructus, qui & maturi non ſunt; & deficientibus iis, quæ omnia requiruntur ad maturitatem, ante ejus obtinenda ſpem non minus in monaſteriis marceſcent. Invenies quidem illico ſacræ ſcripturæ & SS. Patrum monita, quæ eundem, de quo cogitas, vitæ ſtatum enixe commendant. Sed male ſi his generatim pronunciatis monitis ſpecialem illico tui vocationem contineri exiſtimes, quin ad animi tui corporiſque vires, quin ad ea, quæ proximo, ſociis, & Principi exſolvere ita fortaſſe negligis, actionum tuarum debita reflectas. Inanis nimirum eſt, quæ una parte intenditur Divinæ gloriæ manifeſtatio, ſi parte altera volun-

luntas Numinis præter immediatum ſui cultum alia adhuc nobis injungens, officiis ſocialibus nil penſi habitis violetur. Inane eſt tutiorem Deo ſerviendi occaſionem amplecti, ſi officiorum colliſio exigit, ut non vultus ſudorem, non ſocialis civiliaque incommoda obtutu ſugiendorum mundi periculorum evites. Quid ſi miles ex ſtatione hac, qua eum Ducis juſſa collocant, pericula fugiendi cauſa ad aliam magis tutam tranſiret, ibidem laudes ſui Principis & imminentes cuivis hoſtium inſidias omni populo decantaturus? anne miles hic juſte atque prudenter ita ſeſe periculis ſubduceret? anne eum viciſſim Princeps laudaret, anne hoſtes ita virium ſuarum quid perderent? Non unum horum omnium mihi perſuadebis. Ego pericula, in quorum medio non ſua culpa ſed adimplendorum officiorum colliſione quis conſtitutus eſt, intrepide exſpectanda eſſe, & illo ipſo his officiis dicato aſſiduo labore æque ſuperari poſſe contendo. Non addere non poſſum verba magni & immortalis Pontificis Clementis XIV. *Chriſtianos ſibi nimia onera imponere nollem. Evangelium eſt vera eorum regula: probatiſſimæ vocationis neceſſe eſt, ut ſe ſolitudini tradant — præterquam quod pauci ſint Cœnobitæ ſtudioſi, timendum inſuper eſt, ne Reſpublica, hujuſmodi defectu, ad paupertatem redigatur. Non Cœnobitæ, ſed Cives nati ſumus. Quorum ingenii dotes, labor, mores juvant Mundi harmoniæ, hos colit Reſpublica, hiſce floret.* P. I. *Epiſtola* I. *juxta Auguſt. Francof. & Lipſ. edit.* 1776. Conf. meus ordo Princip. Juriſp. Eccleſ. P. II. §. 199. not. c. & *Mandatum generale Elect. Bavarici anno* 1769. 2. *Novemb.* Exemplum ætatis, etiam pro clericali ſtatu a Principibus definitæ habemus in Nov. 125. cap. 13. ubi ita edicitur: *Presbyterum autem minorem triginta quinque annorum fieri non permittimus. Sed neque diaconum, aut ſubdiaconum minorem viginti quinque, neque minorem Lectorem decem & octo annorum.* Conf. Cl. de Martini l. c. §. 226. & elegantiſſimam diatribam Reverendiſs. Abbat. Brzcunov. Stephani Rautenſtrauch de Jure Principis præfigendi maturiorem Profeſſioni monaſticæ ſolemni ætatem, in mea coll. diſt. 14.

(*d*) *Clericos autem*, dicitur in nov. 123. cap. 12. *non aliter ordinari permittimus, niſi literas ſciant & rectam fidem vitamque honeſtam.* Intereſt enim & Religionis & Reipublicæ, ut ſacris muneribus non admoveantur alii, quam qui ipſi fidelium & civium officia rite didicere, atque utraque conjungere norunt. Quod ipſum autem, ut cuivis patet, is optime addiſcit, qui in ſcientiis ſtatui clericali congruis, & cumprimis ſecundum normam, quam illud apud nos præſcriptum & ſingulas ſtudii Theologici & canonici partes diſtribuens ſchema exhibet; & ultra quaſdam non niſi theſes, ultra fortuito acu tactas quaſdam paginas ſerio atque adeo ſuperficie profundius laboravit, conf. axiomata §. 101. Cl. de Martini l. c. §. 203.

(*e*) Neque enim ad Religionis eſſentiam neceſſarium, imo neque ſalva Religione naturali & poſitiva poſſibile eſt, ut talis, a quo Reſpublica nil boni ſibi expectandum habet, ad quoddam munus Eccleſiaſticum evehatur. Manet ſane Electio liberrima & divini ſpiritus inſpiratio imperturbata, ſi licentiæ non libertati, ſi humanis inſtigationibus non divino inſtinctui, qui contra naturalem & revelatam legem nunquam adeſt, modus ponatur. Hinc imperantis *commiſſarii* ad Electiones Perſonarum Eccleſiaſticarum non tantum ideo veniunt, ut perſonæ electæ adminiſtrationem temporalium nomine Imperantis committant, ſed ut etiam ipſi Electioni, ne in ea quidquam in Reipublicæ præjudicium contingat, ſumma ſolicitudine invigilent, cuncta ad Imper. autem referant, & inde circa perſonam electam *Placetum Regium* præſtolentur. Hinc etiam Imperantibus ſingulis in Electione ſummi Pontificis ejuſmodi perſonis, quæ rebus publicis ſunt nocivæ. *Excluſivam* dandi jus, non tantum quæſitum, ſed & indefinitum eſt, quando quidem nec ipſi Principes ſuas obligationes defendendi rempublicam, utpote Majeſtati eſſentiales, ullo pacto valido ad certum numerum reſtringere, aut iis renuntiare queunt. *Non decet*, ait Nicolaus Cuſanus Cardinalis, *quemquam dicere ſanctiſſimos Imperatores, qui pro bono Reipublicæ in electionibus Epiſcoporum & collationibus beneficiorum, & obſervatione Religionum multas ſacras conſtitutiones ediderunt, erraſſe & ita ſtatuere non potuiſſe. Imo legimus Romanum Pontificem eoſdem rogaſſe, ut conſtitutiones pro cultu divino, pro bono publico etiam contra peccatores de Clero ederent.* L. III. de concordantia Catholica cap. 40. conferatur mea lucubratio canonica de Natura ortu & progreſſu electionum Perſonarum Eccleſiaſticarum, in qua demonſtravi; primis Eccleſiæ temporibus populum ad electiones non tantum cum voto negativo, ſed & cum affirmativo concurriſſe, idemque votum remoto etiam populo ſalvum manſiſſe Principibus; & non tantum ab iiſdem tot Epiſcopos, ſed & tot Pontifices ab Imperatoribus conſtitutos fuiſſe, quin inter hos Epiſcopos & Pontifices etiam illi, quos nunc in ſanctorum numerum relatos veneramur, propterea ſe minus recte conſtitutos exiſtimaverint, aut quin unquam ab Eccleſia canon contra hujus Juris uſum fuerit editus, quantumvis ad abuſus non tacuerat.

(*f*) Et conſectarium earum, quæ nunc ante dicebamus. *Et illud quoque* ait Petrus de Marca, *Epiſcoporum libertati in adminiſtratione*

tione profuturum putarunt Gallicani , cum Regis conſenſu promotus expectare debeat faciliorem & procliviorem publicam tuitionem --- adde quod ipſa quoque Regum munificentia in dandis Eccleſiæ agris & concedendis immunitatibus exigebat iſtam ab Epiſcopis grati animi ſignificationem -- Et juxta monitum , quod Remigius Epiſcopus dederat Clodoveo Regi æquum erat, ut invito & repugnante Principe non aſſumerentur ad eam dignitatem aut incogniti aut ſuſpecti, ſed potius , qui eſſent illi vitæ meritis prudentia ac fide undequaque probati , præcipue cum ex miniſterio ſibi commiſſo magnam in populos ſibi ſubditos auctoritatem conſequantur L. VIII. c. II. §. 2. de concord. Sac. & Imp. *Et ſi falli quandoque, ſi a recti orbitá aberrare nonnumquam Principes contingat, quid populi , quid vulgi fæcem ? ſi ejus rei contemplatione excluſi non ſunt populi ab electionibus , ergo ne principes quidem .* Thomaſin. de vet. & nov. Eccleſ. diſc. P. II. L. II. C. IV. Exempla antiquiſſimarum Nominationum regiarum earumque recenſores vide in citata mea lucubratione canonica §. 15. Neque nominatio iſthæc , quid ſpirituale eſt , neque propterea ſupremum Jus ordines & juriſdictionem ſpiritualem digno conferendi , & indigno denegandi Rectoribus Eccleſiæ adimitur . Conſ. quoque meus ordo Princip. P. I. §. 49.

(*g*) Vide §. 101. axiomat. III. IV. & V. Enimvero dum Principi jus eſt circa totius Eccleſiæ perſonas invigilandi , ne reipublicæ noceant , etiam circa tales *ſocietates plurium perſonarum ad certum finem ſacrum unitas*, quæ inter ſingulares fidelium familias , & integram Eccleſiam mediæ ſunt , idem profecto Principi jus erit. Atque hinc ejuſmodi ſocietatum *Inſtituta ſeu conventione , quibus illi , qui collegium conſtituunt, determinare ſolent ea, quæ ad finem propoſitum, conſervandumque ordinem pertinent* , ab utraque poteſtate adprobari , quaſcunque demum confirmationes quæcumque privilegia obtinuere , ab utraque etiam poteſtate , ne videlicet in perniciem Religionis aut Reipublicæ degenerent , continuo inſpici, atque ſi aut illius aut hujus commune exigit Bonum , contra quod nulla confirmatio nullumque privilegium quid valet , reformari aut penitus tolli debent. Conſ. cl. de Riegger L. 1. Decret. tit. 2. de conſtit. §. 74. uſque 85. & cl. de Martini l. c. §. 215. 226. 227. 230. 232. 233. Hæc eadem jam dixi in meo ordine Princip. Jur. Eccleſ. P. I. §. 16. §. 50. num. 13. Atque innituntur ea axiomati V. & doctrinæ de votis , quam in religione naturali & revelata fundatam ſuperius oſtendi.

§. 110. Habet porro Princeps Jus , unaque obligationem VIII. urgendi , ut perſonæ Eccleſiaſticæ canones obſervent (*a*) IX. coercendi eos , qui canonum ſunt tranſgreſſores (*b*) & hinc X. etiam obſiſtendi, ne, quæ Eccleſiæ nociva ſunt, conſtituantur (*c*) nec non generatim XI. inſpiciendi quaſvis leges Eccleſiaſticas , ne nociva conſtituantur Reipublicæ; quod jus Placeti Regii audit (*d*).

(*a*) Dixi jam ſuperius eſſe Eccleſiam in republica, atque ideo Imperantem , & ut Religionis Advocatum Epiſcopos qua tales de ipſorum obligationibus monere , & ut Reipublicæ defenſorem iiſdem , qua ſubditis , præcipere poſſe, ut id minus , ob quod in republica hoc vitæ genus profitentur, rite adimpleant. *Hæc* ait Ludovicus Pius in ſuis capit. *ſunt capitula quæ volumus, ut diligenter inquirant , miſſi noſtri ; Primo de Epiſcopis , quomodo ſuum miniſterium expleant , & qualis ſit eorum converſatio , vel quomodo Eccleſias & Clerum ſibi commiſſum ordinatum habeant , atque diſpoſitum. Deinde quales ſint adjutores miniſterii eorum , ideſt Coreſpicopi , Archipresbyteri, Archidiaconi, & Presbyteri per Parochias eorum ſimiliter de omnibus Monaſteriis inquirant* &c. Cujuſmodi decreta regia complura vide apud Pitæum in probat. Libertat. Eccleſiæ Gallicanæ cap. 35. & apud Fevretum de Abuſu L. 1. c. 5. quemadmodum quoque ſimilia in jure Juſtinianeo Tit. de Epiſcop. & Clericis & Novel. 123. &c. deprehenduntur; ſed confer quoque cl. de Riegger l. c. §. 440. & cl. de Martini l. c. §. 203.

(*b*) *Principes* ait Alexander Natalis diſſ. 21. ad ſec. IV. *Sunt tutores & defenſores canonum ac Vindices Eccleſiaſticæ diſciplinæ* . Neque ulluſquicumque *malum agit* per Apoſtolum fuit ſubductus Principi , ne iis contra illum ſit *miniſter Dei & in iram Vindex* . Reflecte mentem ad illud jam ſupra allatum Nicolai Cuſani Cardinalis teſtimonium , ipſos Pontifices petiſſe a Principibus, *ut conſtitutiones etiam contra peccatores de clero ederent*. Cur ergo Principes, ejuſmodi ſua decreta pœnis civilibus non efficacia reddere poſſent ? Id Jus Principum profecto agnoverat Paulus , dum ait act. Apoſt. CXXV. 10. *ad Tribunal Cæſaris ſto , ibi me oportet judicari -- ſi enim nocui aut* DIGNUM MORTE *aliquid feci*, NON RECUSO MORI &c. Neque enim pœna, etſi publica, ſi delictum publicum eſt, ſcandalum parit , ſed tollit potius. Ceterum in id ultro ſum conſentiens, ut illis pœnis, per quas ipſas quædam antea cognita perſona-

ſonarum eccleſiaſticarum delicta demum manifeſtarentur, ad avertendum, quod ex hujuſmodi delictis deinde quidam ſumerent ſcandalum, coercitiones privatæ ſubſtituantur, conf. Petrus de Marca de Conc. Sac. & Imp. L. IV. cap. I. & II.

(*c*) Hinc etiam teſte de Marca lib. IV. c. 4. Principes aliquando ſuſpenderunt ſynodorum judicata. Hinc concilium Moguntinum ad Carolum M. hæc verba direxit: *de his tamen omnibus valde indigemus veſtro adjutorio, atque ſana doctrina; quæ & nos jugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis ſuper perſtrinximus capitulis, a* VESTRA AUCTORITATE FIRMENTUR, SI TAMEN VESTRA PIETAS ITA DIGNUM ESSE JUDICAVERIT, ET QUIDQUID IN EIS EMENDATIONE DIGNUM REPERITUR, VESTRA MAGNIFICA IMPERIALIS DIGNITAS JUBEAT EMENDARE. Paucis! eſt hoc corollarium legitima prioris extenſio. Conf. cl. de Riegger. l. c. §. 441.

(*d*) Placetum Regium, vi cujus nulla lex eccleſiaſtica ante promulgari poteſt, quam a Principe inſpecta ſit, an non quid nocivum contineat reipublicæ, Juris circa innocuum eſt conſectarium. Neque eſſentia eccleſiaſticæ legis propterea a poteſtate profana dependet, dum lex reipublicæ nocivum quid ſtatuens lex eccleſiaſtica vere talis non eſt. Etenim ſatis ſuperque & hiſtorica fide & experientia convicti ſumus, legum Eccleſiaſticarum nomine nonnunquam veniſſe conſtitutiones in Regna Principum, communi eorumdem ſaluti contrarias. Quandoquidem igitur I. Princeps non tantum præſentes reipublicæ læſiones repellendi; ſed & futuris præcavendi jure gaudet. II. Id omnino nihil eſt iniqui, ut, veluti lex familiam concernens familiæ Rectori primum naturali ordine tradenda eſt, etiam Imperans legem, quæ ſuam civitatem concernit, ad ſe tanquam in civitate primum deferri velit. III. Conſtitutio reipublicæ nociva pro Eccleſiaſtica lege agnoſci nequit. IV. Autem id ipſum, num nociva ſit, ante inſpectionem neſcitur. V. Si conſtitutio ejuſmodi nocivum reipublicæ nil continet, ejus promulgationem promovendi potius obligationem, quam impediendi Jus Princeps habet; atque adeo VI. Promulgatio, quæ ad eſſentiam legis pertinet, in lege Eccleſiaſtica vere tali a Principis arbitrio non dependet; totius placeti Regii Juſtitia cuivis rite cogitandi non ignaro non poteſt non eſſe evidentiſſima. Lubentes cederent argumentis his omnibus quidam, niſi ipſis achillea difficultas obſtare videretur in quæſtione iſta: *cur viciſſim ad leges Principum, quæ nociva eſſe poſſunt Religioni, Placetum Pontificis tanquam Eccleſiæ defenſoris non eadem ratione requiratur?* Ad hanc ſane quæſtionem ſolidum dari reſponſum omnino non poſſe exiſtimant. Enimvero & ſolidiſſimum reſponſum & facile id dari poſſe ex ſequentibus patebit.

I. Novimus neque Chriſtum neque Apoſtolos in danda ſuæ doctrinæ ratione, ſi quæ ab ipſis per Reges, præſides aut Judices fuerat exacta, unquam fuiſſe refractarios, quanquam non legamus eoſdem unquam a Regibus, Præſidibus & Judicibus viciſſim civilium legum rationem poſtulaſſe. Matth. X. 18. 32. Marc. VIII. 38. Luc. VIII. v. 16. XII. 8. 9. 11. Joan. XVIII. 33. & ſeq. Act. Apoſt. XXIV. 10. & ſeq. uſque 21. XXV. 8. & ſeq. II. ad Tim. II. 12.

II. Jam monebam ſæpius, ut Principi non minus concedamus, quam nobiſmetipſis in noſtris domibus indulgemus. Quemadmodum igitur nos conſtitutiones Eccleſiaſticas ante inſpectionem, an non rebus noſtris œconomicis pernicioſæ ſint, in domos noſtras non admitteremus, etſi non viciſſim ea, quæ noſtræ familiæ enunciabimus juſſa, antea Judici Eccleſiaſtico examinanda demus; ita quoque nec a Principe, dum conſtitutiones Eccleſiaſticas ante Inſpectionem, an non reipublicæ pernicioſæ ſunt, non admittit, ideo exigi debet, ut leges ſuas civiles antea judici Eccleſiaſtico diſcutiendas ſubmittat. Nimirum, ſi de fidelibus loquamur, militat

III. Pro Imperantibus præſumtio, quod & fidei ſuæ capita intelligant, & qua Eccleſiæ defenſores nil Eccleſiæ nocivum ſint conſtituturi, dum fortiſſima contra Judices Eccleſiaſticos hæc pugnat præſumptio, quod veluti reſpublicas nec agnoſcendas habent, nec etiam cuncta, quæ ad communem civitatis ſalutem conferunt, pervident; quam facillime quid in reipublicæ detrimentum conſtituere queant. Et univerſe de quibuſcunque ſeu fidelibus, ſeu hæreticis, infidelibus Principibus ſermo ſit, divino oraculo certi reddimur.

IV. Eccleſiam uſque ad conſummationem ſeculorum eſſe duraturam, neque fore, ut adverſus eam ipſæ inferi portæ prævaleant, atque adeo multo minus fieri, ut imperantium crudelitate & nequitia Religio noſtra unquam ſubvertatur, dum ex adverſo ſalus integrarum civitatum, quas inter utinam Germania noſtra ab *Henricorum* & *Fridericorum* temporibus non triſtiſſimum exemplum eſſet, turbis occaſione diſſidii inter Sacerdotium ac imperium ortis fuerat ſubverſa; Et quid mirum, nam.

V. Nil tam facile, quam Religionis prætextus ignaram plebem, alioquin magis ſuo privato, quam publico totius civitatis bono intentam permovet; cum contra Imperanti, contra conſcientiam quid injungenti, non æque facile obſequuntur.

VI. Habet Eccleſia non tantum, ſi aberrarunt oves quædam, ad eaſdem reducendas, ſed & ante, ne ſeducantur, media complura alia ſuæ poteſtati convenientia & opportuniſſima, qua-

qualia ſunt fervida Evangelii predicatio, continua paſtoris præſentia, ejusdem bonum exemplum, amica quædam in exponendis cuique ſacris litteris & divinis præceptis familiaritas, ab omni reſpectu humano atque quæſtu remota Sacramentorum adminiſtratio, & quantum fieri poteſt, fidelibus facilis redditus ad divina acceſſus, preces ad Deum, preces ad ipſos Principes dirigendæ. Quæ omnia illis, qui vero animarum Zelo reguntur, *jumgu ſuave*, *&* *onus leve* erunt: Quæ omnia efficient, ut abſque placeto circa leges civiles affectando, *tanquam mites & humiles cordi inventuræ ſint requiem animabus ſuis*; quæ omnia denique tantum operabuntur, ut *oves*, *quæ in ovili ſunt*, *quaſque non rapiet quiſquam de manu paſtoris*, inde non ipſæ diſcedant, aut ſi diſceſſere, *audientes paſtoris vocem & eandem agnoſcentes* ſponte revertantur. Matth. XI. 28. Joan. X. 11. uſque 30. Remedia autem longe duriora, utinam non cruenta, & tamen ad Rempublicam, ſi Religionis prætextu perverſa eſt, penitus reſtituendam non ſemper undequaque ſufficientia Imperantibus deinde ſuperſunt, ſi non principiis ejuſmodi perverſionis, ſuo inſpectionis jure reſtiterunt. Tam diſpares igitur cauſæ facilem ſolidamque demonſtrant rationem, cur ad conſtitutiones Eccleſiaſticas *Placetum regium*, & cur non viciſſim ad conſtitutiones civiles *Placetum Eccleſiaſticum* ſtatuatur eſſe neceſſarium; ID QUOD ERAT DEMONSTRANDUM. Conf. cl. de Riegger l. c. §. 447. ubi ad viros in Jure Eccleſiaſtico adprime verſatos; ſimulque ad pientiſſimorum noſtrorum Principum *Ferdinandi* III. & *Leopoldi* reſcripta provocat, quæ extant in Cod. Auſtr. Voc. *Spirituales ac Pontificiæ Bullæ*. Conf. quoque cl. de Martini l. c. §. 213. 218. 222. 230. Et cumprimis pro hoc argumento commendari meretur cl. Van-Eſpen Tractatus de Promulgatione legum Eccleſiaſticarum ac ſpeciatim Bullarum, & reſcriptorum Curiæ Romanæ; inter ejus opera Edit. Lovan. Tomo IV. pag. 123.

§. 111. XII. Si quando perſonæ Eccleſiaſticæ in aliorum itidem Eccleſiaſticorum; aut univerſe in civium damnum ſua abutantur auctoritate, nec principi Jus recurſum pro tali caſu ad ſe concedendi, nec gravatis libertas eundem ſumendi Eccleſiaſtica prohibitione aut reſervatione poteſt impediri (*a*).

(*a*) Simul ac perſonæ Eccleſiaſticæ ſua abutuntur auctoritate, læduntur cives, qui vel itidem Eccleſiaſtici vel laici ſunt, & quidem læduntur ab illis, qui jus lædendi non habent. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis* ait Apoſt. ad Rom. C. VIII. v. 25. Et quantumvis poteſtas Eccleſiaſtica a profana non dependet, illam tamen divinus fundator ita definivit, ut tantummodo ad uſum eorum, quæ ad ſalutem internam pertineant, non autem ad abuſum ſeſe extendat; ad abuſus igitur Eccleſia poteſtatem nullam habet, atque quamprimum, vel minimos in Republica committit, male agendo, timendum habet illum, qui *non ſine cauſa gladium portat*, *qui Dei miniſter eſt*, *& vindex in iram ei*, *qui malum agit*, ad Rom. C. XIII. v. 4. Neque jam inſulſa recoque Sophiſmata, dicendo: nullum Imperantem ad abuſus poteſtatem accepiſſe, & tamen, etſi aliquos committat, ejuſdem ſubditos ad alterum Imperantem, a quo ille non dependet, recurrere non poſſe. Enim vero quiſque ſtatim intelligit, quam diverſiſſimos eſſe caſus, ſi quædam reſpublica, quæ ab altera nullatenus dependet, in territorio ſuo ſine alterius præjudicio poteſtate ſua abutatur, & ſi Eccleſia, quæ a republica non undequaque ſed quoad ſolam illam veram ſpiritualem poteſtatem non dependet, in territorio Reipublicæ cum ejusdem præjudicio abuſus committat. Neque revoca quæſtionem illam, *cur non viciſſim*, *ſi Princeps ſua abutatur poteſtate*, *ad Eccleſiam recurrere liceat*. Etenim ſi ſubditos ſuos in temporalibus gravet cauſis, reflectatur ad illud: *Homo quis me conſtituit judicem & diviſorem ſuper vos*, & univerſe animo revolvantur ea, quibus ſupra demonſtravi, nil poteſtatis Eccleſiæ in temporalia competere; Quodſi autem abuſus poteſtatis profanæ ipſam Religionem attingat, ſumat ſuum recurſum gravatus fidelis ad illum, qui Matth. XI. 28. ait: *Venite ad me omnes*, *qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos*. Imo non morabor, dicat gravatus fidelis id Eccleſiæ, & hæc iis, quæ ſibi competunt, ſpiritualibus mediis utatur. Hæc omnia nos recta ratio ſacris litteris juncta edocet. Et ne exempla, ne effata virorum doctrina & pietate inſignium deſiderentur, in materia tanti pro Republica & pro ipſa Religione monenti,

Audiamus primo S. S. Patres,

Regum officium eſt proprium facere judicium & Juſtitiam, *& liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos*; S. Hieronym. ſuper Hierem. ad cap. 22.

Hæc Magiſtratuum vita eſt, *hoc ſtudium*, *ut pace fruaris*. *Ideo in alia Epiſtola non ſolum illi ſubditos eſſe*, *ſed etiam pro ipſi precari jubet*, *ut placidam & quietam vitam agamus — ſi illos auferas*, *omnia abſcedent*, *nec*

nec civitates nec vici nec Domus erunt : non forum, non aliud quippe ſtabit : ſed omnia ſubvertentur potentioribus inferiores devorantibus ; S. Chryſoſtomus Hom. XXIII. in Epiſt. ad Rom.

Intelligis quæ dico : cui honorem, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Si omnis, & veſtra ; quis vos excipit ab univerſitate, ſi quis tentat excipere, conatur decipere. S. Bernardus Epiſt. 42. ad Archiepiſc. Senonenſem.

Audiamus SS. Pontifices.

Debes incunctanter advertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, SED MAXIME AD ECCLESIÆ PRÆSIDIUM *eſſe collatam, ut* AUSUS NEFARIOS COMPRIMENDO, *& quæ bene ſtatuta ſunt defendas, &* VERAM PACEM *his quæ* TURBATA *ſunt* RESTITUAS ; S. Leo M. ad Leonem Auguſtum Ep. 75.

Omnipotens Deus Pietatem veſtram PACIS ECCLESIASTICÆ *fecit cuſtodem* ; S. Gregorius M. ad Maurit. Auguſt. Epiſt. 6. L. 7.

Audiamus ſynodos.

Epiſcopus quidem Athanaſius, ut vim ſibi illatam effugeret, Imperatorem adiit, rogans, ut legitima Epiſcoporum ſynodus cogeretur, aut ipſe Imperator de objectis criminibus ſeſe purgantem audiret. Synodus Egypti apud Athanaſ. in Apolog. contra Arian. num. 9.

Si quis Clericus pro QUALIBET CAUSA *Principem expetierit, & cum ipſius Principis Epiſtola ad Epiſcopum ſuum fuerit reverſus, excuſatus recipiatur*, Concil. Pariſ. V. ſub Clotario Rege a. 615.

Cognoſcant Principes ſeculi Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt, nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per Fideles Principes ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui EORUM POTESTATI SUAM ECCLESIAM CREDIDIT. Concil. Pariſ. a. 829. L. II. cap. 11. extat apud Gratian. Cauſ. XXIII. q. V. can. 20.

Audiamus quoſdam Epiſcopos ſeparatim.

Deus vobis regnum & omnium rerum Imperium ad ſalutem orbis terrarum, & pacem Sanctarum Eccleſiarum juſte donavit. Unde proſternimus nos Majeſtatis veſtræ veſtigiis, ut jubeatis arceri injuſtitiam, quæ adverſus nos a Reverendiſſimo Epiſcopo Nicæno Anaſtaſio eſt præſumta. Eunomius Epiſcop. Nicomed. in libello ad Imperat. quod recitabatur in concil. Chalcedon. Act. XIII.

Intentio & propoſitum eſt Clementiæ veſtræ univerſis quidem ſibi ſubjectis providere, & manum porrigere omnibus injuſte oppreſſis, præcipue tamen fungentibus ſacerdotio : in hoc divinitati placentes, a qua vobis imperare & dominari ſub hoc ſole donatum eſt. Ergo quoniam multa & dira ſumus perpeſſi a Reverendiſſimo Dioſcoro Alexandriæ Epiſcopo, adimus veſtram pietatem ſupplicantes Juſtitiam promoveri, Euſebius Epiſcopus Dorilæi in libel. ad Imp. qui in eodem concil. Act. I. legebatur.

Principes non ſolum lege generaliter lata canones adverſus novitates vindicabant, ſed etiam ſpecialiter nimirum illatam in judiciis canonicis per canonum violationem decretis ſuis reſarciebant, ſi quis ad eos querelam ſuam deferret, cui ex officio incumbebat, non ſolum quod canonum cuſtodia illis commiſſa eſſet, ſed etiam quod civium, & præcipue clericorum patrocinium, & tranquillitatis publicæ cura ad eos ſpectaret. Petrus de Marca L. IV. de Con. cap. 2. num. 3.

In hac Regia & Caſtellana Republica illud obſervandiſſimum eſt, & diu obtinuit a tempore, quod memoria hominum excedit, poſſe ab his, qui a judicibus Eccleſiaſticis vi & cenſuris opprimuntur, REGIOS AUDITORES ET CONSILIARIOS *omnino adire, ut vim auferant — quod ſi quis oſtendat a principibus ſecularibus hanc tollere poteſtatem, ſtatim non quidem ſero comperiet experimento manifeſtiſſimo, quantum calamitatis Reipublicæ invexerit*. Didac. Covaruvias Epiſc. Segovienſis in pract. quæſt. cap. 35.

Audiamus doctores Eccleſiaſtici, Religioſi, & profani ſtatus.

Regalia, quæ competunt regi in ſignum ſupremæ juriſdictionis, ut — per oppreſſos ad eum recurratur, Princeps a ſe abdicare non poteſt, niſi regiæ ſedi renunciet. Franc. Salgado in ſuppl. ad ſanct. parte I. cap. I. n. 109. & 110.

A temporali juriſdictione deducta fuit exemptio Clericorum — quæ inducta fuit ad utilitatem Cleri & Eccleſiæ, non ad ejus ruinam, damnum & detrimentum, prout contingeret, ſi per violentias gravatus, & vi oppreſſus a judicibus Eccleſiaſticis, non haberet recurſum ad Regem & Principem temporalem, ad cujus exhibitionem tenetur jure naturali & divino, quod inviolabile eſt. Idem de protectione Regia præ. 3. n. 91.

Reges tenentur proſpicere executioni canonum, & obſervationi juris naturalis, ac proinde ſi illos infringant, illudque violent Eccleſiaſtici judices, Princeps legitime appellatur

latur. Natalis Alexander ex Ordine Prædic. Diſſ. XXI. Sec. IV.

Ubi Papa poteſtate abutitur, Epiſcopi reſiſtere poſſunt, & ſi hoc non ſufficit, poſſunt implorare Principes ſeculares, ut eorum auctoritate & potentia reſiſtant vi & armis: non per viam jurisdictionis in Papam, ſed jure defenſionis, & comprehendant & puniant executores mandatorum ſive miniſtros — neque injuſta excommunicatio aut alia cenſura a Papa inflicta quidquam valet, neque tenenda, neque timenda: quia ſicut mandatum ejus, ita ipſa ſententia jam notorie injuſta ex parte cauſæ & ipſo facto nulla neque tenenda neque timenda eſt. Antonius Cordubenſis Minorita Theologus Concilii Tridentini L. IX. Quæſt. 10. diſt. 3. apud Goldaſt. Tom. III. p. 336.

Contemptus clavium etiam non ſemper invenitur apud illos, qui necdum obediunt promulgatis per Papam vel ſuos: ſed etiam non eſt judicandum, eſſe apud illos, qui per poteſtatem ſecularem adverſus tales prætenſas ſententias tueri ſe procurant. — Quoniam ſtat, aliquas ſententias paſtoris vel Papæ non eſſe tenendas, imo nec timendas, dum ſunt injuſtæ. Ut ſi excommunicare velit illos, qui ſuo Regi & ſuis edictis rationalibus obediunt. Notavit hoc Innocentius prius, & habetur fundamentaliter ex infallibili lege divina, & naturali, cujus deductionem hic omittimus. Joan. Gerſon in tract. circa mater. Excommun. & irregularit. Conſil. X. Tom. II. p. 423. & 425.

Poteſt appellari legitime ab abuſu ad PRINCIPES SECULARES *ſeu ad* SENATUM SUPREMUM, *quotieſcumque poteſtas Eccleſiaſtica pronuntiat aut agit contra Canones, aut privilegia regularium, poteſtque aut* PRINCEPS *aut* SENATUS *appellationem ſuſcipere, ut a violenta vexatione eripiantur*. Bruno Caſſaingus Minorita, Pœnitentiarius Gregorii XV. & Urbani VIII. in tract. de Priv. Regul. pag. 20.

Audiamus Conſtitutiones Summorum Principum veteres & recentiores.

Cum hactenus canones obſervati recte non fuerint, diverſas ex ea paſſi ſumus interpellationes contra Clericos & Monachos & quoſdam Epiſcopos, ut qui ſecundum canones non viverent. In præf. ad Nov. 137.

Omnibus Epiſcopis & Presbyteris interdicimus ſegregare aliquem a ſacra communione: antequam cauſa monſtretur, propter quam ſanctæ regulæ hoc fieri jubeant. Nov. 123. cap. 11.

Majore cum fiducia ille nihil ſe poſtulare dixit, quam ut vos huc conſcendere juberem, quo præſentibus vobis de illatis ſibi injuriis poſſet conqueri, coram me ſcilicet, quem ſincerum Dei famulum eſſe ne vos quidem ipſi inficias ire poteſtis. Conſtantinus apud Socrat. L. 1. cap. 34. & apud Athanaſ. in Apolog. n. 86.

Inquirant miſſi noſtri, utrum Epiſcopi in circumeundo parochias ſuas, cæteras Eccleſias minores gravent, aut populo oneri ſint, & ſi ab ipſis aut a miniſtris eorum indebita Xenia a Presbyteris exigantur. Ludovic. Pius apud Pithæum in Probat. cap. 35.

Quomodo autem hoc jus recentioribus temporibus ſit firmatum collige.

2. Ex tranſactione Rudolphi II. Imp. cum Urbano Epiſcopo Paſſavienſi a. 1592. (quæ habetur Corp. Jur. Eccleſ. Auſtr. pag. 273.) ut *ad pœnas, ſententias, & cenſuras Eccleſiaſticas uſque ad ſuſpenſionem Prælati ordinarius procedere non poſſit, abſque conſenſu, & adprobatione Imperatoris*.

2. Ex conſtitut. Joſephi I. an. 1706. qua is Archiepiſcopum Pragenſem *a cenſurarum via facti infligendarum comminationibus abſtinere* juſſit, Vid. Corp. Jur. Eccleſ. Boh. pag. 172.

3. Ex conſtitutione ejuſdem Joſephi contra Bullam Clementis XI.

3. Ex conſtitutionibus Auguſtiſſimæ noſtræ Mariæ Thereſiæ & quidem

DE ANNO 1768.

Qua præcepit, ut *cauſæ excommunicationis ob percuſſionem clerici infligendæ a Commiſſariis Eccleſiaſticis & ſæcularibus pari numero cogendis cognoſcantur, & ſententia Majeſtati ad adprobationem offeratur*.

EODEM ANNO.

Alia, qua conſtituit, ut *in poſterum nullus ſubditorum, neque in crimine hæreticæ pravitatis abſque placeto Regio & conſenſu Judicis ſecularis excommunicatione percuti poſſit*.

ANNO 1765.

Qua *vanum irregularitatis metum, quem prætendebant clerici, ſi ad detegendos & puniendos delinquentes officium boni civis præſtarent, deponi* voluit. Vide corp. Jur. Eccleſ. Boh. pag. 183. 184. 186. & 226.

Quas omnes conſtitutiones juſtiſſimas eſſe ex præmiſſis principiis, ex rationibus, quibus allata facta & ſancita innituntur, & etiam ex inde patet, quia in ipſo corpore Juris Canonici Cauſ. XV. quæſt. 7. c. 1. Concilium Hiſpalenſe II. Abuſus poteſtatis Eccleſiaſticæ fieri poſſe, fateatur per illud ſuum ſtatutum: *nullus noſtrum ſine concilii examine quemlibet Pres-*

Presbyterum vel diaconum dejicere audeat, nam multi ſunt, qui indiſcuſſos poteſtate Tyranica, non auctoritate canonica damnant. Et ſicut nonnullos gratia favoris ſublimant, ita quoſdam odio invidiaque permoti humiliant, & ad levem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant. Epiſcopus enim ſacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt; ſolus auferre non poteſt quia in ipſo corpore Juris Canonici cauſa XXIV. quæſt. III. Can. 6. probatur & inculcatur Novella Juſtiniani 123. contra injuſtam excommunicationem, quia ibidem Cauſ. II. quæſt. VII. can. 41. dicit ipſe Pontifex. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendari judicio, quoniam ſi nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus; certe non veritatis diſcipuli, ſed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magiſtri.*

Conf. Van-Eſpen de concord. immunitat. Eccleſ. & Jur. Regii cap. II. & totus tractatus de Recurſu ad ſummum Principem inter ejus opera, Tom. 4. Edit. Lovan. pag. 93. & 289. Fevretus de abuſu. Pereiræ doctrina antiquæ Eccleſiæ apud nos jam bis impreſſa; ſcilicet etiam in mea collectione ſelect. lucubr. in diſtrib. X. conſiſtens.

§. 112. Et quis jam dubitare poterit; quod Perſonæ Eccleſiaſticæ in cauſis temporalibus Imperio & judicio civili ſeſe ſubmittere & *fori privilegium* non aliunde, quam a Principum beneficio recognoſcere debeant (*a*).

(*a*) Quis crederet fuiſſe tempora, in queis multi hominum pro hac ſententia: *immane quantum peccare clericos, qui ſe poteſtati ſeculari quecunque demum modo ſubjiciunt*, veluti pro aris & focis decertabant. Quis crederet hujus ſuæ opinionis turpitudinem illis non adparuiſſe.

1. *Lumine rationis*, quæ dictat

α. Membra civitatis ſine Imperio civili cogitari non poſſe.

β. Illa civitatis membra, quæ ſacris ſe functionibus dicant, in civitate manere; atque ex ſacrarum functionum natura non intelligi, quod per eaſdem ullus civium ſubjectionis pacto liberetur, quaſi repugnaret, ut cum hoc pacto conſiſtant, immo

γ. Non concipi poſſe tale ſacrarum functionum genus, quod naturali cujuſcunque civium obligationi & totius civitatis ſaluti adverſaretur, ſed

δ. Obligari omnes tam clericos quam laicos, ut ſecuritatem & alias perfectiones extra civitatem non obtinendas in civitate, atque adeo, ſine quo civitas non datur, ſub *civili* Imperio ſectentur.

ε. Igitur non tantum non indecorum, ſed naturali lege omnino conſentaneum eſſe, ut miniſtri Religionis civilem judicem in civilibus competentem agnoſcant.

2. Sacris ex literis: ubi Salvator poteſtatem Pilato deſuper in ſe datam agnoſcit, Joan. XIX. 11. ubi dicit Apoſtolus Paulus: *ad Tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari — ſi nocui aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori — Cæſarem appello.* Act. XXV. 10. 11. *Et omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Ad Rom. XIII. item S. Petrus *ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum ſive Regi tanquam præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei* I. Petri cap. 2. quæ etiam perſonis Eccleſiaſticis ſcripta eſſe patet

3. Ex SS. Patrum monumentis & veteris Eccleſiæ praxi. Nempe *nobis etiam præſcribitur* dicit S. Gregorius Nazianzenus, *ut ſublimioribus poteſtatibus pareamus*, in oratione ad cives XVII.

Oſtendit Apoſtolus, quod iſta imperentur omnibus & ſacerdotibus & monachis, non ſolum ſecularibus: id quod ſtatim in ipſo initio declarat, cum dicit, OMNIS ANIMA POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS SUBDITA SIT: *etiamſi Apoſtolus, etiamſi Evangeliſta ſive Propheta, ſive quiſquis tandem fuerit: neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio*; S. Chryſoſt. Hom. XXIII. ſuper Epiſt. ad Rom.

Sive eſt ſacerdos aliquis, ſive Antiſtes, ſive monaſticam vitam profeſſus, iis cedat quibus mandati ſunt principatus: Theodoretus Epiſcopus Cyri in Comment. ad eundem locum S. Pauli Tom. III. pag. 99.

Nequaquam obſtiti pietatis tuæ mandato; abſit: non tanti quippe ſum, ut obſiſtam vel quæſtori urbis: nedum tanto Imperatori — Pietatis tuæ mandato minime repugnavi, neque Alexandriam ingredi conabor, donec humanitati tuæ id placuerit. S. Athanaſius in Apolog. ad Conſtantinum Imperat. num. 19. & 26.

Quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent Religionis Antiſtites; S. Gelaſius Pontifex ad Anaſtaſ. Imperat.

Ego juſſioni ſubjectus eandem legem per diverſas terrarum partes tranſmitti feci —

pote-

poteſtas ſuper omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data eſt — utrobique ergo, quæ debui, exſolvi, qui Imperatori obedientiam præ & pro Deo minime tacui. S. Gregorius I. in Epiſt. ad Imperat. Maurit.

De capitulis vel præceptis imperialibus veſtris irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantum valuimus & valemus Chriſto propitio, & nunc & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur. Et ſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit, ſciatis eum profecto mentiri. S. Leo P. IV. in Epiſt. ad Lothar. Imperat. apud Gratian. diſt. X. Can. 9.

4. Ex conſtitutionibus Principum, quæ palam faciunt:

α. *Conſtantinum* hanc immunitatem ita dediſſe clericis, ut ad Epiſcoporum judicium provocarent, *ſi magiſtratus civiles rejicere vellent.*

β. *Marcianum* idem, atque eodem plane cum tenore ſanxiſſe.

γ. *Leonem & Anthemium* tantum voluiſſe, ne clerici in alia provincia conveniant, & ita ſuo cogantur miniſterio abeſſe

δ. *Valentinianum* 3. judicia Epiſcoporum in cauſis clericorum civilibus ad arbitrii modum reſtrinxiſſe, denique

ε. *Juſtinianum* in Nov. 83. in præf. & cap. 1. Nov. 123. c. 8. & c. 21. hanc immunitatem plenius determinaſſe.

Quæ tamen immunitas non obſtabat, quo minus leges circa delicta clericorum a Principibus latæ ſuum vigorem retinerent, vide Valentiniani III. Novel. de ſepulchris violatis & Juſtiniani Novel. 123. cap. 10. 20. &c. videlicet uti

5. Dicit Guilielmus Barclajus: *Principes fideles exemerunt quidem privilegiis ſuis clericos a poteſtate magiſtratuum inferiorum: ſed non exemerunt a poteſtate ſua; nuſquam enim memoriæ proditum eſt ab ullo ſcriptore, Principes, qui iſtis clericos privilegiis donarunt, ita eos a ſe liberos dimiſiſſe, ut ſibi amplius non ſubeſſent. Imo nec potuerunt Principes, nec adhuc poſſunt, clericos in ſuis regnis conſtitutos ea libertate donare, ne ipſi poteſtate temporali non ſubſint, neve delinquentes ab iis judicari, & puniri poſſint, niſi eadem opera ſe Principatu abdicent.* De poteſtate Papæ cap. 35. §. 2. apud Goldaſt. Tom. III. p. 1105. Cujus viri effato addita ſint ſequentia.

Quis e ſcholaſticis, aut vero e Canoniſtis poſtremi ævi non id docuit, clericos nullo modo Principibus eſſe ſubditos? tanta publici juris ignorantia tenebantur. At nunc quotusquiſque eſt, non dico clericorum, ſed Religioſorum, Epiſcoporum, etiam R. E. Cardinalium, qui non ſe ſubditos ſuis Regibus fateantur ſalvis privilegiis ordini ſuo Eccleſiæ auctoritate conceſſis, & publica Regnorum lege firmatis. Boſſuet in defenſ. declar. Cleri Gall. L. IV. C. 28.

Quia Clerici non tantum, qua Clerici ſed etiam qua cives ſunt, ſpectantur in Republica, legibus Principum tenentur niſi eorum gratiam libertate generali toti Clero indulta aut alicui ordini ex beneficio Regum conſecuti ſint. Petrus de Marca L. II. de Conc. cap. 7.

Num intellectis his omnibus poſſibile eſt, ut ut quis *immunitatem clericorum perſonalem*, vi cujus etiam in civilibus cauſis ſeparatum ſuum forum ſeu judicii locum habent, juris divini eſſe aſſerat. Num argumentis his prævalere fortaſſis queunt ſpuriæ Iſidori merces, aut genuini quorundam Pontificum Canones, aliquando proclamantes quid divinum, quod divinis naturæ & revelationis tam ſcriptæ quam traditæ doctrinis contrarium eſt. *Quamvis Romani Pontifices* ait Paulus Sarpi ex ordin. ſerv. B. Mariæ, *ab anno 1160. & deinceps varia decreta ediderint de exemptione Clericorum cap. 4. 8. 10. 17. de judiciis nullo tamen in loco hujuſmodi decreta integre recepta ſunt ab aliquo Principe.* Sane neque conciliorum effata ad ejuſmodi quid tanquam divinum pronunciandum, & ad præjudicandum juribus Principum infallibili prædita ſunt auctoritate; quamquam plurima, quæ ex conciliis adverſariorum turba attulit, non ſubjectionem civili judici exhibendam, ſed litigandi ſtudium clericis prohibeant, eoſque potius quietos & Epiſcoporum arbitriis aliiſque amicis compoſitionibus contentos eſſe velint. Hoc & nil aliud etiam quædam ſacræ ſcripturæ loca evincunt; *quædam* ajo; nam veluti adverſarii illum 101. Pſalmum *nolite tangere Chriſtos meos* ſibi præſidio ſumunt, qui tamen non ad Magiſtratus ordinarios, ſed Principes extraneos populo Dei interitum minitantes, non ad judicia civilia, ſed injurias Semini Abrahæ non inferendas directus eſt, ita etiam quamplurimos textus alios obtorto quaſi colo in ſuam cauſam trahunt. *Fuit enim hoc vitium aliquando ævi, ut ſacros textus, qui omnibus commune jus faciunt, in prærogativam ſolorum clericorum interpretarentur,* ait cl. P. Oberhauſer in prælect. can. Tit. de foro compet. Et Gambacurta L. III. de immunit. Eccl. cap. 7. ſcribit; *mihi primo certum eſt immunitatem noſtrarum Eccleſiarum non eſſe a Deo præceptam in veteri teſtamento. Secundo æque certum eſt, nullum eſſe Chriſti præceptum de immunitate Eccleſiaſticorum.* Vide etiam quæ ibidem habet ad finem cap. 16. Quod Innocentius III. in cap. 6. §. 2. de Majorit. & obed. objicit argumento deſumto ex *illis* S. Petri verbis *ſubditi eſtote omni humanæ creaturæ*, videlicet:

licet: quod, ſi hæc quid probarent, *etiam ſervus quilibet in ſacerdotes imperium accepiſſet*, facile oſtenditur non eſſe juxta regulas interpretationis, cum ſubſtrata ibi materia non circa quaſvis creaturas, ſed homines legitimam poteſtatem in republica habentes verſetur, uti clare prodnnt verba *ſive Regi tamquam præcellenti ſive ducibus ab eo miſſis*. Verum itaque veriſſimumque manet, immunitatem clericorum perſonalem

1. Neque divini aut naturalis aut poſitivi Juris eſſe.

2. Neque Eccleſiaſtico etiam ex jure provenire potuiſſe, dum Eccleſia in iis, in quibus nil juris habet, videlicet in civilibus neminem eximere potuit. Quapropter illud Bellarmini argumentum inane eſt, quo aſſerit, a Pontifice talem, quem ipſe ad conditionem clericalem promovet, non minus juriſdictioni laicorum ſubtrahi, ac ſubditus comitis juriſdictioni ſubtrahitur ab Imperante, qui illum ſubditum ad Principis dignitatem evehit; quaſi vero clericus & laicus judex in civilibus eo plane modo ſummo Pontifici eſſent ſubjecti, quo a Principe & ſubditus & hujus etiam Comes quoad juriſdictionem civilem dependet. Sed jam advertimus loco alio: infirmis his argumentis, queis Bellarminus Principum juribus minas admovere ſimulat, tantum ejus ſcripta & animi ingenuitatem, non vero ipſam ejus doctrinam maculari.

3. Igitur omnia hac in parte Principum arbitrio, atque privilegio niti, adeo, ut ſicuti is ſolus clericos civilibus in cauſis a Tribunali civili immunes reddere poteſt, ita etiam hanc immunitatem reſtringere aut plane abolere valeat; proinde

4. Violatores hujus immunitatis adire quidem contra Dei legem, ſed tantum eate nus, quatenus principis leges violare contra Dei legem eſt, ſeu quatenus Principis leges in conſcientia quemvis ſubditum obligant.

5. Utut clerici privilegio Principis exemti, coram conſiſtorio Eccleſiaſtico in cauſis civilibus conveniri debeant, ſententiam tamen ibidem in his cauſis non Eccleſiæ ſed Imperantis nomine perferri, hinc

6. Ab ejuſmodi conſiſtorio non alio, quam ad ſuperius tribunal profanum adpellari poſſe;

7. Quia immunitas hæc perſonalis eſt, eam tantum obtinere in actionibus clericorum perſonalibus, in queis videlicet *principaliter* perſona clerici poſtulatur; non itaque.

1. Si clericus poſtulat, ſeu auctor eſt, utpote qui forum rei ſequi debet, non etiam

2. Si de evictione reo principali laico præſtanda agitur; non

3. In actionibus realibus, ubi non perſona, ſed ipſa res & ejuſdem ſitus attenditur; non denique

4. in actionibus in rem ſcriptis, quæ adverſus poſſeſſorem qua talem inſtituuntur; imo

5. Cum id ipſum reconventio involvat, ut actor a reo *reconventus* eundem judicem, coram quo reum convenit, & ad quem alias non pertinet, contra ſe agnoſcendi obligatione teneatur; a clerico, quem reus laicus coram judice laico reconvenit, eundem judicem, etſi alias judex clericorum competens non ſit, in revocatione ut competentem agnoſci debere. Conf. cl. de Riegger Lib. 2. Decret. tit. 2. de foro competente.

§. 113. Sed neque Rectores Eccleſiæ prohibere poſſunt; quo minus civilis Imperator in territorio ſuæ civitatis pro ejuſdem neceſſitate aut magno commodo iis, qui a vera religione alieni ſunt, liberum ſacrorum exercitium permittat (*a*).

(*a*) Diximus jam alibi: Imperantibus eſſe obligationem maximam promovendi Religionem, & ejuſdem uniformitatem ipſi Reipublicæ generatim prodeſſe. Diſſeruimus præterea jam ſuperius de libertate conſcientiæ, eumque non illico violari oſtendimus, ſi Imperans media Religionem promovendi executioni mandet. Sed utique etiam hæc advertenda ſunt

1. Nullius intellectum mediis violentis, ac externa coactione emendari poſſe,

2. Neque Chriſtum, neque Apoſtolos unquam docuiſſe: homines aut pœnis ad veram Religionem adigendos, aut ſi nolint, a republica cum ejuſdem detrimento eſſe ejiciendos.

3. Fieri poſſe, ut reſpublica vel ſola hominum ejuſmodi emigratione, perdendo videlicet tot ad civitatis vires contribuentia membra damnum non exiguum patiatur, præterea autem;

4. Contingere poſſe, ut ejuſmodi tolerati, qui demum in Rempublicam admittuntur, non tantum ut quieti cives Reipublicæ non noceant, atque adeo bonorum civium numerum augeant, ſed præcipuas fortaſſe quaſdam operas ad civitatis bonum adferant etiam.

5. Quamquam veræ Religionis ſplendor per ipſam hujuſmodi tolerantiam augmentum non capiat (quod neque præceptum eſt, dum recta augendi occaſio deficit) non tamen eundem illum ſplendorem, quem vera Religio antea habuit, per eandem tolerantiam perimi; modo Reipublicæ vigilantia præcaveat, ne tolerati agere veræ Religionis impugnatores, errores diſſeminare, aut fideles ſeducere queant.

Imo,

Imo, ſi, quod veriſſimum eſt, genuinum Religionis ſplendorem præclara fidelium opera efficiunt, fore, ut tanto magis Religio ſplendeat, quanto clarior *lucebit lux noſtra bona & glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt*. Optimum videlicet fidei uniformitatem procurandi remedium in eo poſitum eſt, ut ipſo conſpectu paſtoris boni, bonarumque ovium errantes ad unionem invitentur. Cæterum quod quidem ex hactenus dictis jam adverti potuit, non unquam admiſſurus ſum, doctrinas aut morum honeſtati, aut ordinationibus civilibus, aut publicæ tranquillitati contrarias, porro impugnationes veræ Religionis atque ſeductiones in Republica tolerandas eſſe. Conf. Buddeus in Theol. moral. part. II. cap. III. Sect. VII. §. 21. in not. Barthel oper. recent. Part. II. cap. VI. Wolfius *in ſanis cogitationibus ad hominum ſocialem vitam* §. 368. Cl. de Martini l. c. §. 218. Animadvertendum autem inſuper eſt: neceſſariam in colliſione tolerantiam nonnunquam firmari plane pactis & tranſactionibus, atque inde *toleratis* obtutu exercitii ſuæ religionis jus perfectum naſci. Quapropter etiam tolerantia in eam, quæ *gratiæ*, ac illam, quæ *juſtitiæ* eſt, quam rectiſſime diſtinguitur: ceterum jura toleratorum civilia haudquaquam ex jure canonico ſed jure civili ſunt deſumenda, inſpiciendaque hinc cujuſvis regni & provinciæ ſtatuta. Quandoquidem enim vera religio nec hominis adprobatione eget, nec ab homine quoad ſubſtantiam reprobari poteſt, quandoquidem alienæ Religionis conſortibus nil *plene* contra veram Religionem permitti poteſt, ſed tantummodo minus plene pro foro ſcilicet externo; hinc tota illa diviſio religionum, in *adprobatas toleratas & reprobatas* civiles potius effectus reſpicit. Ipſum tamen etiam religionis exercitium eſſe poteſt, aut *publicum* aut *privatum*, atque hoc bene a *devotione domeſtica*, quæ ſine miniſtris religionis expeditur, diſtinguere oportet; & conf. meus ordo Princip. P. I. §. 42. 43. 44. 45. 46.

CAPUT III.

De Jure ſummi Principis, cum ſingulis poteſtatis Eccleſiæ partibus, & quibuſvis juribus Eccleſiaſticis collato.

§. 114. Haud difficulter nunc etiam reſpondebimus, ſi quæratur de juribus Eccleſiaſticis, quid circa ea Princeps nequeat, quid poſſit. Hoc utrumque videlicet, ut rite & facile dijudicetur, ſingula Eccleſiæ jura, prout in mere ſpiritualia, mere temporalia, & mixta abeunt, denuo ſecundum poteſtatem, unde profluunt, & ſecundum effectus, quos producunt, probe antea cognoſcenda, atque ita ſeparanda erunt (*a*).

(*a*) Vide ſupra §. 101.

§. 115. Nequit ſane Princeps I. ea, quæ mere Spiritualia ſunt, ſibi arrogare jura; nequit etiam II. Eccleſiam in ejuſmodi juribus, quæ ad Eccleſiaſticæ poteſtatis eſſentiam pertinent, turbare vel minimum, proinde aut juri leges Eccleſiaſticas ferendi, aut illi Judicio, quod Eccleſiæ pro foro conſcientiæ competit, aut ſpiritualium pœnarum executioni civiliter indifferenti ullum ponere impedimentum (*a*).

(*a*) Conf. ſupra §. 101.

§. 116. Poteſt autem atque debet Princeps I. cohibere ſpiritualium Jurium abuſus (*a*). II. Jus temporales pœnas infligendi aut ſibi ſoli reſervare, aut normam earundem Eccleſiæ præſcribere (*b*). III. de Juribus Eccleſiaſticorum temporalibus pro ſalute civitatis diſponere (*c*). IV. etiam in juribus mixtis ea, quæ per poteſtatem regiam adnexa ſunt, & ſine ea nunquam adnecti valide poterant, a ſpiritualibus vel ſeparare penitus, vel deminuere ſaltem (*d*) immo Princeps non tantum V. ipſa ſpiritualia Jura, ſi *accidentalia* ſunt, pro reipublicæ bono tollendi (*e*) ſed etiam VI. ſuſpenſionem Jurium Eccleſiæ eſſentialium apud eos, apud quos eam ſine reipublicæ interitu impedire nequit, permittendi obligatione tenetur (*f*).

(*a*) Vi-

(*a*) Videlicet 1. *Placeto regio* 2. continua vigilantia, ne etiam illa, queis *Placetum Regium* acceſſit, in malum uſum ſubinde degenerent. 3. Recurſu ad ſe conceſſo 4. generatim iis mediis, quæ eo conferunt, ut & potentia & voluntas Reipublicæ nocendi apud quemvis ſubditorum exſtinguatur. Ceterum non tantum circa Jus ferendi leges & exequendi, adminiſtrandique divina novimus reprimendos fuiſſe ejuſmodi, de quibus ſupra §. 91. uſque 101. §. 109. & ſequentibus numeris vel explicate vel implicite monui; ſed cumprimis etiam poteſtatis judiciariæ exceſſus in Eccleſia olim contigiſſe frequentiſſimos, neminem eruditorum latet. Etenim invaluit

1. *Prætextus peccati*, ſeu ***denunciatio Evangelica***, qua aliquis civilibus remediis deſtitutus adverſarium ſuum nec duplici monitione privata nec teſtibus adhibitis permotum, Eccleſiæ eum in finem denunciavit, ut hæc illum ad pœnitentiam ac proinde ſimul reſtitutionem rei detentæ compellat.

2. *Prætextus negligentiæ Judicis laici ſupplendæ*, ſub quo Judici laico totus confeſtim Proceſſus adimebatur, ſimul ac quiſquam Romæ adſerebat juramento, ſibi ab illo judice juſtitiam conſequendi nullam ſpem ſupereſſe.

3. *Prætextus juramenti*, dum videlicet juramentum cuicumque actui adpoſitum jam ſufficiens erat, ut idem hic actus non alteri porro Judici, quam Eccleſiaſtico ſubjaceret.

4. *Prætextus cauſarum piarum*, ob quem nimirum cauſæ perſonarum miſerabilium & viduarum nec non legata pia ad forum Eccleſiaſticum trahebantur.

5. *Prætextus rerum ſpiritualium*, *vel ſpiritualibus adnexarum*, quas propterea ad Eccleſiæ judicium pertinere exiſtimabant

1. Indiſtincte cauſas matrimoniales, etſi non de valore Sacramenti, ſed tantum de facto, num videlicet matrimonium contractum ſit nec ne, aut de dote, alimentis aliiſque matrimonii conſectariis quæſtio agitaretur.

2. Indiſtincte cauſas natalium, etſi rurſus non de valore Sacramenti, ſed tantum de facto, num quis ex illo matrimonio natus ſit, controverſia incideret.

3. Cauſas illorum teſtamentorum, quæ coram Presbytero & tribus aut duabus aliis perſonis idoneis facta quis reſcindere attentaret. Hujuſmodi enim pœnas anathematis dabat.

4. Cauſas Beneficiales, decimarum, patronatus, ſeu in petitorio, ſive in poſſeſſorio lis orta ſit, paucis! cauſas omnes, quæ res & bona Eccleſiaſtica concernerent, cauſas omnes, cujuſcunque generis, quas vel perſona Eccleſiaſtica moveret, vel quæ eidem moverentur.

Committerem repetitiones inanes, ſi prætextus hos omnes hic articulatim rejicerent, qui ex hactenus dictis jam ſatis refutati ſunt, quorum abſurditas ex iis porro, quæ ſequentibus paginis demonſtrabo, uſque magis ſeſe ipſam manifeſtabit. Equidem vel hoc evictum eſſe ſufficit, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ judicium de peccatis, de juramentis, omnibuſque alterius generis actionibus tantummodo *pro foro conſcientiæ*; nullatenus vero pro foro externo, & cum ullo civili conceſſerit effectu, quod ſub nullo horum omnium prætextu ***judex*** & ***diviſor*** eſſe voluerit, & quod neque Apoſtolorum neque veteris Eccleſiæ praxis unquam a conſcientiæ foro in externum aliquod juſtitiæ tribunal deviaverit. Sufficit temporalia uſque manere temporalia & Principum poteſtati ſubjecta; etſi eorundem Principum indultu ſpiritualibus rebus adjungenda permittantur, id quod occaſione decimarum & Juriſpatronatus ſequentibus paragraphis opportunius erit declaratum. Neque detinebit me jam a nonnullis Pontificibus olim ſibi arrogata poteſtas Imperatores atque Reges ſoliis dejiciendi, quam poteſtatem jus illud juramenta, atque adeo etiam fidelitatis & ſubjectionis juramenta ſolvendi, & neſcio qualis ex unctione Regum adquiſitus titulus cohoneſtare debuiſſet. Provoco etenim iterum iterumque ad ea omnia, quæ *indirectæ* Pontificum in temporalia poteſtati ſupra oppoſuimus, & præterea cujuſvis pii, cujuſvis docti, cujuſvis prudentis arbitrio relinquo, cum Pontifex una cum poteſtate ſolvendi juramenta efficere queat, ut quis, qui 100. florenos alteri debet, qui hanc ſuam obligationem jurejurando confirmavit, ſoluto jurejurando ad perſolvendos 100. illos florenos jam porro non teneatur, atque ut hoc ipſo alter ſuo credito, ſuo jure cadat. Enimvero id ſi non poteſt Pontifex, uti cuivis vel ſeptennio majori comprehendere non difficile eſt, quomodo is ſubditos a fidelitate & ſubjectione: (ad quam obligatione naturali & immutabili tenentur etſi eam non jurejurando firmaſſent:) hoc jurejurando ſoluto liberabit? quomodo ex mera unctionis ceremonia, quæ nullum ſpiritualem characterem imprimit: ſed externis tantummodo ſignis omnes de ſumma imperantis dignitate monet, ejuſmodi poteſtatis figmentum vel concipi poterit? Edocuit nos jus naturæ: juramenta ad modos firmandi pacta pertinere, ſed abſit, ut quid mihi debitum juramento confirmari ſinerem, ſi id jam una cum juramento Pontifex ſolvere poſſet. Conf. cl. de Riegger L. 2. Decret. Tit. 2. de foro competente. §. 780. uſque 807.

(*b*) Reflecte ad §. 101. axiom. I. II. & III. item §. 111. n. 2. tribuit videlicet Eccleſia ſecundum finem ſuum non alia quam ſpiritualia bona, ergo neque aliis, quam ſpiritualibus bonis eos privare poteſt, qui ſacro fini actiones ſuas confirmare nolunt: ergo quæcunque temporales pœnæ a ſolius Principis arbitrio atque norma dependent.

(*c*) Jux-

(*c*) Juxta axioma III. §. 101. & ea, quæ ſupra §. 109. demonſtrata fuerant.

(*d*) Fluit id pariter ex axiomate III. §. 101. Conf. Cl. de Riegger Inſt. Juriſprud. Eccleſ. §. 453.

(*e*) Juxta axioma V. §. 101. Conf. Nov. 123. Cap. I. in fin. Petrus de Marca lib. IV. C. 4.

(*f*) Compone ea, quæ allata ſunt §. 101. in axiom. III. & IV. & quæ dicta ſunt §. 106. n. 1. §. 112. n. 2.

CAPUT IV.

De iis, quæ ad notionem rerum & bonorum Eccleſiæ pertinent; ac inde eruendis circa ea Juribus Principum in genere.

§. 117. Extra omne dubium eſt; quod bonorum Eccleſiaſticorum neceſſitatem ipſa recta ratio perſpiciat. Etenim actiones externas immediate ad Dei cultum quaſdam ponendas eſſe, ſeu fieri debere ſacrificia; porro media illuſtrandi unitis viribus divinam gloriam, manifeſtandique palam Numinis perfectiones opportuniſſima eſſe loca ſacra; denique oportere conſtrui atque conſervari externa ejuſmodi ſigna, quæ, dum pia repræſentatione nobis illa in memoriam revocant, quorum in ſacri operis executione recordemur neceſſe eſt, internam orationem figunt, & ſenſus noſtros a divagando retinent; omnia hæc ſola ratione innoteſcunt, atque ad omnia hæc quendam adparatum, quoſdam ſumtus requiri eadem ratio comprehendit. (*a*) Quapropter & a minoribus jam ſocietatibus in externum Dei cultum impenſas nunquam non factas, & ab iiſdem, dum in majorem illam civilem ſocietatem coivere, de ejuſmodi Religionis adparatu omnibus opportuno, & de conferendis in hoc commune commodum ſumtibus proſpectum fuiſſe, omnino eſt quam certiſſimum.

(*a*) Conf. ſupra §. 2. & ad quem cl. de Riegger l. c. §. 547. provocat elegantiſſimum locum Vitringæ de Synag. Vet. Lib. I. P. III. c. II. p. 444. Sed bene ſtatim adverte, quæſtionem aliam eſſe, an res ad Dei cultum ſint neceſſariæ; aliam, an hoc ſemper numero ſint neceſſariæ. Porro reflecte, omnem Dei cultum affirmativum ceſſare, neceſſario, quam primum cum officiis neceſſitatis & ſummæ utilitatis erga noſmet ipſos aut proximum colliditur, ſic legimus, *quod fecit David cum eſuriſſet ipſe, & qui cum illo erant, quomodo intravit in Domum Dei, & panes propoſitionis ſumſit, & manducavit, & dedit his, qui cum ipſo erant, quos non licet manducare, niſi tantum ſacerdotibus* 1. Reg. 21. 6. Luc. c. 7. v. 3. cuius facti adprobandi cauſam Chriſtus apud Matth. c. 12. v. 6. & ſeq. ſat clare edixit Phariſæis his verbis: *dico autem vobis, quia templo major eſt hic, ſi autem ſciretis, quid eſt*: MISERICORDIAM VOLO ET NON SACRIFICIUM, *nunquam condemnaſſetis innocentes &c.* Sed de hoc argumento jam ſupra egimus, & eiuſdem amplior ad ipſas res Eccleſiaſticas adplicatio mox ſuo ordine adparebit.

§. 118. Dicarunt (*a*) videlicet temporalia quædam bona cultui divino cives hac ratione, ut vel I. omnes ad adparatum religionis toti civitati communem contulerint. (*b*), vel II. quædam in civitate communicantes hac in parte tantummodo inter ſe communem cauſam, atque adeo eandem ab aliis ejuſdem civitatis familiis, & pagis ſeparatam fecerint (*c*) vel III. ſingulæ familiæ & perſonæ ſimilem adparatum ſibi ſolis domi ſuæ conſtituerint (*d*).

(*a*) Præplacebit cuivis rite ratiocinanti, quod ea, quæ ad Dei cultum offeruntur, eidem *dicata*, non vero Deo *donata*, aut cum *Dominio* in Deum tranſlata a me hic compellantur. Equidem dominium eſt *jus de rei ſubſtantia & ejus conſectariis pro arbitrio diſponendi*, quod ius, ſi Deus ut ſupremus rerum omnium Dominus & divino modo exercere vult, alioquin a ſemetipſo habet, noſtra donatione non indigens; humano autem modo, ut cuivis manifeſtum eſt, non exercet, ſed hominibus debito modo exercendum relinquit. Subjecit ſane Deus omnia, quæ creavit, hominum dominio Gen. I. 28. & nil aliud expoſcit, quam ut etiam ſuis quæque creata finibus impendantur. Nil itaque homo ſupremo Numini *proprie donare*, nullius rei *Dominium* in ipſum transferre, ſed ſolummodo ex bonis ſuis quædam divino cul-

cultui *dicare* poteſt. Neque interroga, quo deveniat proprietas rei, quam quis non amplius in rebus ſuis habere vult, & Eccleſiæ cuidam offert; devenit ad eum, ad quem illa Eccleſia ſpectat, & quidem hac cum conditione devenit, ut ab eo in Numinis cultum adhibeatur.

(*b*) Proprietas igitur totius hujus adparatus eſt penes totam civitatem ſeu principem, in quem omnia, quæ civitas propria habet, ſubjectionis pacto translata ſunt.

(*c*) Ejuſmodi bonorum proprietas reſidet quidem penes illam civium communitatem, quæ pro ſuo Religionis commodo contribuit; adeo, ut niſi principis voluntas pluſquam ſimpliciter adprobans acceſſerit, niſi ipſa illa communitas ſibi facultatem diſponendi reſtrinxerit, omnia ejuſdem communitatis nitantur arbitrio. Sed quidquid ſit, ſummum inſpiciendi Jus atque etiam dominium eminens, vi cujus vel invitis civibus eorum bona pro reipublicæ totius neceſſitate accipi, & impendi poſſunt, uſque Principi ſalvum manet.

(*d*) Obtinent cumprimis hujuſmodi privata ſacra in illuſtrium familiarum aut perſonarum ædibus, a queis, ſi *ſtricte privata* ſunt, etiam quoad exercenda ibidem pietatis officia cuncti alii, qui non de hac familia & domo ſunt, excluduntur. Seu autem *ſtricte privata* ſint, ſeu aliis quoque ad ea aditus legitima auctoritate ſit conceſſus, privati hujus adparatus proprietatem ſemper pertinere ad illas familias perſonaſve, quæ eum conſtituerunt, atque ſuo in eundem non renunciarunt juri, quiſque puto, ex quo quærerem, cujuſnam hoc vel illud in hac vel illa illuſtri domo conſtructum ſacellum ſit, ſine hæſitatione reſpondebit.

§. 119. Diffuſo revelationis lumine, atque creſcente fidelium tam numero, quam fervore, non tantum univerſim civitates in ſuis territoriis, ſed etiam unius ejuſdemque civitatis communicantes in urbibus, oppidis, atque pagis loca ſacra ſacrumque adparatum multiplicarunt (*a*). Dedit ſubinde etiam majus indies incrementum piiſſimorum Principum liberalitas. Imo ſicuti inter privatos plurimi, ut ut opibus tenues, Religionis zelo ad ſacras incitabantur oblationes, ita inter eoſdem nonnulli fortunis amplioribus inſtructi aut vivi adhuc aut poſt mortem, copiarum ſuarum, ſi non integram ſæpe ſubſtantiam, ſaltem non exiguam partem in ſacros uſus impendendam reliquerunt (*b*).

(*a*) Tum potiſſimum enata diſtinctio Eccleſiarum *Cathedralium & parochialium*, porro *civitatenſium*, & *ruralium*. Conf. cl. de Riegger. Lib. 3. Decret. Tit. 9. §. 184.

(*b*) Attendendum hic eſt, qua cum declaratione illi hæc bona cultui divino deſtinata reliquerint. Etenim ſi ea non inter ſua ſuorumve ſucceſſorum, aut cujuſdam communitatis bona eſſe expreſſe voluerunt, ſed ſimpliciter ſe inde quendam locum ſacrum, quendam ſacrum adparatum ad publicum fidelium uſum conſtrui velle declararunt, eadem bona tanquam publicæ res ipſi toti reipublicæ ſeu ejuſdem Rectori eo cum onere propria fieri cœperunt, ut niſi neceſſitas, aut utilitates reipublicæ determinationem aliam exegerint, ſecundum voluntatem relinquentium adhibeantur. Qua occaſione notandum, iis qui Eccleſiam aut fundarunt, aut dotarunt aut extruxerunt, jam antiquiſſimis temporibus conceſſum fuiſſe illud jus quod patronatus vocatur, & exprimi ſolet his verſiculis.

Patrono debetur, honos, onus, utilitaſque
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus,

Siquidem Patrono
Honor is eſt, ut 1. in Eccleſia patronata tam in procedendo, quam ſedendo loci prioritate aliiſque honorum ſignis gaudeat. 2. Beneficium illud ſine ipſius conſenſu & voluntate valide conferri alteri nequeat, quam illi, quem Patronus Epiſcopo præſentavit.

Onus illud, ut 1. quoad Eccleſiam & ejus bona, ne videlicet quidquam detrimenti Eccleſia per Beneficiatum patiatur, curam & inſpectionem habeat; nec non, ſi in mala aut ſpiritualium aut temporalium adminiſtratione Beneficiatus inſuperhabitis perſiſtat monitionibus, id ſuperioribus denunciet. 2. Eccleſiam etiam contra alios quoſque iniquos defendat. 3. ad Eccleſiæ concurrat reparationem.

Utilitas denique hæc, ut 1. cenſus, ſi quos ſibi in fundatione ſervavit, percipiat. 2. ad inopiam lapſus ab Eccleſiæ alimenta pro ratione ſui ſtatus & tanquam officium perfectum petere poſſit.

Et quidem prima veſtigia juris hujus deprehenduntur ſeculo V. ubi Concil. Arauſic. I. & Arelatens. II. Epiſcopo in aliena Diœceſi Eccleſiam ædificanti concedunt, ut quos deſiderat clericos in re ſua videre, teneatur alter Epiſcopus ordinare, aut ſi ordinati jam ſint, adquieſcere. Seculo IV. Concil. Aurel. IV. laicis quoque non denegavit, ut ejuſmodi clericos, qui probati fuerint ab Epiſcopo, in ſua oratoria intromittant; quod idem ſubinde *Juſtinianus* Nov. 123. c. 18. edixit, prætereaque au-

autem Nov. 57. c. 2. ita extendit, ut non tantum oratoriorum Dominis, ſed etiam Eccleſiarum competeret fundatoribus. Univerſe tunc temporis laici, veluti in præmium defenſionis Eccleſiarum, earundem reditibus inſtar feudi ſeu commendæ militaris beneficio regio fruebantur; ita quoque Sec. VII. Concil. Tolet. VI. fundatoribus ad egeſtatem redactis alimenta ex Eccleſiæ fundatæ reditibus decrevit; Concil. Tolet. IX. vero, ut fundatores ipſi Rectores idoneos pro fundatis a ſe Baſilicis offerrent. Sec. VIII. uſum juris Patronatus non minus jam in Germania fuiſſe docent nos conſtitutiones illius temporis; vid. Colet tom. 8. col. 310. Cumprimis autem ſec. IX. & nomen *Patroni* & ipſum Jus Patronatus florere cœpit, ut patet ex Synod. Wormat. a. 868. Unde colligitur, Jus patronatus ipſo jure & quidem non ſolum jure canonico recepto, ſed jure civili eſſe fundatum. Atque quam certiſſimum eſt totum hoc *Jus honorificum*, *oneroſum*, *&* *utile alicui competens in Eccleſia*, *quam vel conſtruxit*, *vel fundavit*, *vel dotavit*, *&* *cujus præcipua pars eſt poteſtas præſentandi clericum ad Beneficium vacans*, non eſſe ſpirituale, aut ſpirituali annexum. Etenim agnoſcere præcedentiam Patroni in procedendo ſedendoque, præſtare eidem alimenta debita, neque ſpiritualia neque ſpiritualiter adnexa ſunt, niſi, quod cuique erudito riſum moveret, dicere velles, omnia humanitatis & honorum ſigna, quæ alicui Eccleſia, aut Eccleſiaſticus exhibet, omnia debita, quæ ex Eccleſiæ aut Eccleſiaſticoram bonis ſolvuntur, ſpiritualibus, aut ſpiritualiter adnexis eſſe adnumeranda. Porro neque ipſum præſentandi jus quid ſpirituale eſt, dum videlicet Beneficiatus nec ſpiritualem poteſtatem nec ipſum ſacrum munus per patronum, ſed utrumque id per Epiſcopum conſequitur; atque ſi illud, quod Imperantes habent, ad beneficia vacantia beneficiatos nominandi, circa Eccleſias invigilandi, eaſque defendendi jus, inter ſpiritualia aut ſpiritualiter annexa jura non trahitur, qua ratione eo trahi jus patronatus poterit? Paucis! uti cl. de Riegger lib. 3. Decret. §. 721. docet, cuncta, *in quibus totum Jus patronatus conſiſtit*, *nil profecto Juris ſpiritualis involvunt*, *nam illud ſolum Jus ſpirituale dici meretur*, *quod clericis competit vi ſui Officii*, *ſeu cujus ratio ſufficiens in ſolo ſtatu Clericali continetur*. Quam ſufficientem rationem non adeſſe manifeſtant ipſi quoque modi, quibus id Jus acquiritur, ſeu ſpectes *originarios*, ſcilicet *ordinarie* fundationem, dotationem, extructionem, *extraordinarie* præſcriptionem, privilegium; ſeu *derivativos*: nempe ſucceſſionem, donationem, permutationem, venditionem.

Hinc 1. Jus patronatus Eccleſiaſticum, quod perſonæ Eccleſiaſticæ ratione cujusdam Eccleſiæ vel dignitatis vel beneficii in alteram Eccleſiam competit, inter res ipſius Eccleſiæ, cujus ratione competit, recenſeri, atque ideo nil aliud, quam quod in aliarum rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione, atque alienatione obſervandum eſſe noſcimus, itidem hic obſervari debet.

2. Sine ullo Pontificis privilegio ad Jus patronatus laicale, quod videlicet ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeu Laicæ ex patrimonio, ſucceſſione aut alio ſeculari titulo competit, laici, & inter hos etiam feminæ habiles ſunt; conf. codex Auſtr. part. 1. pag. 581. §. 8. habiles ſunt.

3. In eodem jure patronatus laicali alienando nulla ſolemnitas requiritur, veluti id aperte praxis docet.

4. Non tantum jus patronatus una cum caſtro vel villa, cui cohæret, ſed etiam ipſum hoc Jus certo pretio taxari & vendi poteſt, quemadmodum id non tantum in Bohemia (vid. cl. de Riegger Inſt. P. III. §. 736. in prior. edit. & §. 710. nov. edit.) ſed etiam in Auſtria obtinet. Conf. *Æſtimationis* Diploma de dato 29. Junii 1765. ſub rubrica 42. de jure patronatus, quæ conſtitutio ſane idem continet, quod jubet *in Bohemico Æſtimationis* Diplomate 29. *Januar.* 1754. ſub rubrica 42. de Jure Patronatus.

5. Pertinet abſque omni dubio Jus patronatus ex natura ſua tam in petitorio, quam poſſeſſorio ad judicem ſecularem, & quidem non tantum jus patronatus laicum, ſed etiam Eccleſiaſticum, quandoquidem bona Eccleſiarum, inter quæ, ut ſupra dixi, tanquam ex iisdem ortum jus Patronatus Eccleſiaſticum recenſendum eſt, qua temporalia bona reipublicæ ejuſdem Rectori & defenſori ſubjacent. Hinc incidente quæſtione, num *Jus patronatus eſſet mere laicale an vero mixtum*, id eſt tale, in quo patronus Eccleſiaſticus & laicus concurrunt, *cognitionem & deciſionem hujus quæſtionis ad judicem laicum ſpectare*, *Parlamentum Mechlinienſe judicavit*, uti Van-Eſpen P. II. S. 3. Tit. 8. §. 16. de jure Patronatus ex arreſtorum collectione *de Laury* nos certiores reddit.

6. Denique hoc Jus, cum temporale ſit, inſtar aliorum ejuſmodi jurium præſcriptionem non modo contra patronum, ſed ſi præſcriptio hæc immemorabilis ſit, contra ipſam quoque Eccleſiam liberam admittit &c. &c. Ceterum tamen neceſſe eſt perquirere, an non hic & illic non tam vigore ipſorum Canonum, quam eorundem receptione contrarium introductum ſit. Conf. cl. de Riegger cit. Lib. 3. Decret. per tot. Tit. 38.

§. 120. Sunt autem rerum Eccleſiaſticarum duo ſumma genera. Quorum videlicet alterum in rebus cum divino cultu proxime connexis poſitum eſt; alterum res complectitur ejuſmodi, quæ ad alendos miniſtros, externique cultus ſplendorem ſumptus ſuppeditant. (*a*).

(*a*) Id cuivis manifeſtum eſt, quotidianam *rerum ſacrarum* ſeu cum cultu divino proxime connexarum *adminiſtrationem* ad eos, qui circa Dei cultum proxime verſantur, ſeu Religionis miniſtros pertinere.

§. 121. Utriuſque generis res aliæ neceſſariæ ſunt; aliæ ultra neceſſitatem acceſſere (*a*). Sed & res quæ ad alendos Religionis Miniſtros faciunt, porro in duas alias abeunt ſpecies, dum nimirum bona clericorum alia *clericdlia in ſpecie*, alia *beneficialia* numeramus. Illa etiam ſine beneficio, hæc titulo beneficii a clericis ratione functionum clericalium adquiruntur. Quæ omnia non cum *civilibus clericorum bonis* confundas velim. Hæc enim clericis non qua talibus, ſed ut civibus obveniunt; & quidem aut a parentibus conſanguineiſve vi ſucceſſionis, qualia nomen *patrimonialium* ſortiuntur; aut ex donatione, labore, & induſtria alioque modo laico, ubi *quaſi patrimonialia* compellantur (*b*).

(*a*) diſtinguuntur igitur perſonarum Eccleſiaſticarum bona in

Civilia	&	*Clericalia*
hæc ſunt		hæc
vel *patrimonialia*		vel *clericalia in ſpecie*
vel *quaſi patrimonialia*		vel *beneficialia*

Quoad civilia ſua bona clerici eodem modo ac laici proprietatem, atque dominium habent, ita videlicet, ut niſi lex, conventio, aut teſtatoris voluntas obſtet, & niſi eminens illud principis Dominium ſeſe exerat, de horum bonorum ſubſtantia, & confectariis pro arbitrio ſuo diſponere queant. Quoad utramque autem bonorum clericalium ſpeciem clericis proprietatem ac dominium vindicare non poſſumus. Enimvero adverſatur

1. *Intentio eorum, qui hæc bona obtulere*, ſeu nempe illa ſpectemus bona, quæ jam ante aliquot ſecula Eccleſiis oblata ſunt, & ex quibus ipſis beneficia oriebantur, ſive ea, quæ quotidie offeruntur, & *reditus ſtolæ* audiunt, utrobique non deprehendimus cogitaſſe aut adhucdum cogitare his oblationibus fideles: quomodo *patrimonia* clericorum augeri, quomodo plura indies in eorundem *dominium* transferri queant. De Numinis cultu, de ſuppeditandis in functiones ſacras ſumtibus, de alendis idcirco altarium miniſtris, de piis harum oblationum uſibus, & generatim ex pietatis motivo de pietate, non vero de dominio clericorum amplificando omnium eorum, qui hujuſmodi oblationes faciunt, cogitatio eſt.

2. *Intentio Eccleſiæ hæc bona acceptantis*, quæ ſatis ſeſe manifeſtat: in tot canonibus cauſa XII. quæſt. I. II. III. IV. & V. apud Gratian. & in Synodo Trid. ſeſſ. XXV. C. 1. de Reform. nec non in effatto *Bernardi* qui ad Fulcon: Epiſc. Epiſt. 2. ſcribit. *Quidquid præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt: rapina eſt*, quam *Auguſtini*, qui Epiſt. 225. *Deum in teſtem vocat, a ſe non ut poſſeſſore ſed ut procuratore facultates Eccleſiæ poſſideri*. Hinc quoque *Concil. Carthag.* Can. 31. Eccleſiæ intentionem in acceptandis oblationibus, unaque noſtram theſim his verbis ſtabilivit, *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquam commendatis, non tanquam* PROPRIIS *utatur. Et idcirco ſcientes clerici nil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi* VOTA FIDELIUM, PRETIA PECCATORUM, ET PATRIMONIUM PAUPERUM, *non eas vindicarunt* IN USUS UT PROPRIAS, *ſed ut commendatas pauperibus diviſerunt*. S. Jul. Pomer. L. II. Cap. 9. Hinc denique ille celebris Can. Interpres *Archidiaconus* in cap. 11. §. 5. de reſcript. 6. ſcribit. *Eſſe hæreſim in jure Canonico aſſerere, clericos proventuum beneficialium eſſe dominos*.

Neque ex eo, quod ejuſmodi bonorum adminiſtratio, quæ olim ad Epiſcopum pertinebat, nunc beneficiatis & clericis ipſis relicta eſt, contra permanentem eorundem bonorum naturam, contra permanentem Eccleſiæ & offerentium intentionem titulum ad transferendum dominium habilem exculpare licet. Porro nec ex eo, quod pauperes eleemoſynam, & laici, qui miniſteria Eccleſiæ præſtant, mercedem ex bonis Eccleſiæ adquiſitam ſibi ut propriam capiunt, argumentum ad bona clericalia valet. Novimus enim, qua intentione bona clericalia offerantur, ſimulque novimus, pauperibus, miniſtriſque Eccleſiæ laicis ſimplici intentione, ut illi videlicet eleemoſynam, hi mercedem habeant, fieri largitiones. Illud, quod adverſarii in ſynodo Trid. ſeſſ. XXIV. cap. 12. & ſeſſ. XXIII. cap. I. de ref. & quidem in captatis vocibus *Dominus*, *Dominium*, *fructus ſuos facere* ſuæ opinioni præſidium quærunt,

citata

citata ſeſſ. XXV. Cap. 1. de ref. totum quantum eſt, deſtruit. Sic quoque eos Auguſtinus lib. de paſt. & ovib. C. II. item L. II. de ſerm. dom. C. XVI. edocet in C. X. 7. Luc. ubi dicitur; *dignus eſt operarius mercede ſua*, hanc mercedem non opificum more (id quod etiam Matth. X. 8. repugnaret) ſed tanquam Stipendium, quo, ut clerici poſſint laborare, paſcantur, eſſe ſumendam. Eſt itaque quam certiſſimum

1. Bona *beneficialia* æque ac *clericalia in ſpecie* non in Dominio Clericorum eſſe.

2. Eosdem inde ſibi tantummodo ſumere poſſe, quantum ſuſtentationi eſt neceſſarium.

3. Omnia illa, quæ reſidua eſſe facile recta conſcientia advertit, ad numinis cultum, alendos pauperes alioſque pios uſus eſſe impendenda.

Sane utut volebam, quia tamen ex bonis clericalibus nil omnino ad ipſos clericos, quam neceſſaria ſuſtentatio pertinet, & quia horum bonorum compellationes a conciliis & SS. Patribus adhibitæ obſiſtunt, nec quidem *dominium gravatum* in iisdem adhuc pro clericis reperire potui. Sic nempe adminiſtratorem bonorum, ideo, quod inde neceſſaria alimenta percipere poſſit, nec quidem gravatum eorundem bonorum Dominum efficit. Hinc etiam concludit Reverendiſſ. & celeberrimus noſter Abbas Stephanus Rautenſtrauch. *Quod tamen de proventibus ultra vitæ honeſtæ ſuſtentationem ſupereſt, impendere is in uſus pios obſtringitur adeo, ut ſi in profanos uſus eroget, ad reſarciendum obligetur. Quare neque conſuetudine effici poteſt, ut de reditibus ſuperfluis ad cauſas profanas teſtari clericis ſit integrum; quamquam in foro externo id genus teſtamentorum tolerentur, ob odium litium, & quod perarduum ſit, bona ſuperflua beneficialia ſecernere a Patrimonio, de quo libera illis diſponendi, teſtandique poteſtas eſt*; in Synopſi Juris Eccleſ. quod per terras Auguſt. Mar. Thereſiæ obtinet; Jur. privat: part. I. poſit. 24. & 25. conf. quoque cl. de Riegger Inſtit. Juriſpr. Eccles P. I. §. 171. & L. 3. decret. Vit. de peculio clericorum.

§. 122. Stabilitis itaque his veritatibus, quod I. proprietas bonorum Eccleſiæ *regulariter* penes eundem ſit, in cujus patrimonio ipſa eſt Eccleſia (*a*) & hinc II. Reſpublica Eccleſias ſui territorii *immediate* ad patrimonium ſuum pertinentes jure proprii dominii teneat, in reliquis autem, quarum proprietas ad ſubditas communitates, aut ſingulos cives pertinet, dominio gaudeat eminenti (*b*) III. vero Religionis miniſtri ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ & circa Eccleſias bonaque Eccleſiaſtica, niſi ex ipſorum ſint patrimoniis, & circa *bona beneficialia* ac *clericalia in ſpecie* omnino tantum ut miniſtri, tantum ut procuratores, non autem tanquam domini verſentur (*c*). Atque ceterum quoad bona *patrimonialia* aut *quaſi patrimonialia* communi omnium civium regantur jure (*d*) poteſtatis Eccleſiaſticæ limites hac in parte quivis opinor abſque ulteriori demonſtratione deprehendet. Sed vel ideo etiam cuivis jam non difficile erit de eo, quod hic poteſtati profanæ ex ipſa Majeſtatis notione tribui debet, rectum inſtituere judicium.

(*a*) Vide ſupra §. 118. not. a.

(*b*) Vide ibidem num. I. II. & III. cum not. b. c. & d.

(*c*) Vide ſupra §. 121. & not. b.

CAPUT V.

De Juribus ſummi Principis circa bona Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum in ſpecie.

§. 123. Nequit ſane Princeps I. quidquam; quod Numinis cultui a fidelibus eſt deſtinatum, abſque ſalutis publicæ & majoris boni cauſa vel tollere penitus, vel etiam comminuere minimum, vel in alios denique convertere uſus (*a*). Nequit II. perſonis Eccleſiaſticis aut ſubtrahere ea, quæ neceſſariæ ipſarum ſuſtentationi offerebantur ſtipendia, niſi his tantundem alia ratione ſubſtituat (*b*) aut generatim de ejuſmodi perſonarum bonis, ſeu clericalia ſeu patrimonialia illa ſint, aliter quam pro Eccleſiæ & reipublicæ emolumento diſponere. (*c*) Nequit demum III. res Eccleſiarum vel miniſtrorum Religionis quaſcunque contra turbatores injuſtoſve poſſeſſores relinquere indefenſas (*d*).

(*a*) Vi-

(*a*) Vide ſupra §. 101. axioma VI. & not. m.

(*b*) Meæ quidem hæ ſemper erunt ſententiæ I. reditus ſtolæ aut decimarum exactiones auferri non poſſe, niſi prius de alia miniſtros religionis ſuſtentandi ratione ſit proſpectum. II. Hanc ipſam quamcumque denum rationem adeo debere eſſe ſufficientem, ut illi non ad neceſſariorum reſtringantur extrema, ſed potius liberaliter inde tractari queant. Quantumvis enim Chriſtus Matth. X. v. 3. & ſeq. Apoſtolos hujus vitæ commoditates præ labore Evangelico ſpernere voluit, quantumvis eoſdem Matth. VII. v. 25. & ſeq. ut neque de eſcis neque de veſtimentis ſint ſolliciti exhortabatur, hæc tamen ſcripturæ loca profecto non evincunt, eam Chriſti fuiſſe voluntatem, ut Apoſtoli eorumque ſucceſſores a fidelibus ſtudioſe omni incommodorum genere obruantur, ut, dum altaris miniſtri luxu alimentorumque ſollicitudine arceantur, etiam alii fideles de congruis illorum alimentis non debeant eſſe ſolliciti. Contrarium elucet ex Matth. C. VII. v. 33. Luc. IX. v. 4. & ſeq. X. v. 7. & ſeq. Hinc etiam Apoſtolus I. ad Tim. C. V. v. 17. & ſeq. ait: *qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura, non alligabis os bovi trituranti, & dignus eſt operarius mercede ſua*. Id quod amplius declarat I. ad Cor. IX. v. 9. & ſeq. his verbis: *numquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos utique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt. Quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi; ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* &c. &c. & ad Rom. XVI. v. 25. & ſeq. ubi ſcribit: *nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare ſanctis: probaverunt enim Macedonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem, placuit enim eis, & debitores ſunt eorum; nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles; debent & in carnalibus miniſtrare illis*. Quid multis! Religio eſt in republica, & in republica ſerviunt Religionis Miniſtri, ergo veluti alii in Republica ſervientes, *non ſuis militant ſtipendiis, veluti plantans vineam, de fructu ejus edit, veluti paſcens gregem, de lacte gregis manducat, ita qui in altari deſerviunt, cum altari participent*, eſt convenientiſſimum. *Ita ſcilicet Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere* l. c. ad Cor. Ceſſent igitur, multorum fortaſſis ab uſu in cauſa reditus ſtolæ, ceſſent decimæ, ceſſent rurales parochorum curæ, ſed tum demum ceſſent, quando ad peragendas functiones ſacras, & alendos harum Miniſtros aliunde certorum redituum adeſt ſatietas. Hæc videlicet ſi adeſt, tum Princeps tamquam *temporale caput populi Chriſtiani*, ut tenore aureæ Bullæ C. II. §. 4. & 4. loquar, & *tanquam Epiſcopus a Deo conſtitutus in iis, quæ extra Eccleſiam geruntur*, ut ſe Conſtantinus apud Euſebium L. IV. c. 25. compellat, civitatis ſuæ bona ita temperabit; ut jam pro reipublicæ neceſſitate, extra Eccleſiam maneant, jam majori, quam hactenus, Eccleſiæ bono adhibeantur.

(*c*) Vide ſupra §. 101. axioma III. V. & VI.

(*d*) Id quoque ex §. 101. axioma III. & VI. clariſſime profluit.

§. 124. Quam certiſſimum autem eſſe poſſe Principem I. invigilare; ne Miniſtri Religionis bona Eccleſiaſtica in alios, quam queis dicata ſunt, uſus convertant; aut alienent (*a*) & hinc etiam II. ne Eccleſiæ & beneficia Eccleſiaſtica ultra quantitatem ſeu lege civili ſive pactis publicis determinatam a ſuperioribus Eccleſiaſticis, vel in territorio (*b*) vel extra id conſtitutis (*c*) graventur.

(*a*) Eſt id corollarium §. 101. axioma VI. item §. 118. Hinc etiam rerum Eccleſiaſticarum alienationem Epiſcopo & Clero interdixit

1. Pro Eccleſia Conſtantinopolitana Imp. Leo L. 14. c. de SS. Eccleſ.

2. Pro omnibus Conſtantinopolitani Patriarchatus Eccleſiis Anaſtaſius Imp. L. 17. Cod. eod.

3. Pro cunctis denique Eccleſiis Juſtinianus Nov. VII. & C. XX. quos Orientis Imperatores imitatus

4. Carolus M. pariter ſub pœnis cit. leg. 14. cod. ſtatutis alienationem rerum Eccleſiaſticarum prohibuit, ſub iiſque comprehendit *Xenodochia* ſeu loca, in quæ ſuſcipiuntur peregrini, *Trochotrophia*, ubi pauperes & infirmi homines paſcuntur. *Noſocomia*, ubi ſubvenitur ægrotis, *Orphanotrophia* ubi ſuſtentantur orbati parentibus liberi, *Gerontocomia*, ubi Senum infirmorum habetur cura, *Brephotrophia*, ubi alimenta ſuppeditantur infantibus. Sed &

3. Imperatores alii, Auſtriæque noſtræ Principes quod infra in jure Eccleſiaſtico Germaniæ & Auſtriæ docebitur, ſeveriſſimas hac in parte conſtitutiones edidere.

Ut adeo non tam ob canones, quam has conſtitutiones Principum, qui illos canones ſuas leges fecerant, rerum Eccleſiaſticarum alienationes ſint prohibitæ, & ipſius prohibitionis termini juxta Principum mentem debeant determinari. Quid ceterum ad Eccleſ. rerum alienationem præter voluntatem Principis requirant canones, vide apud cl. de Riegger L. 3. De-

Decret. Tit. 13. Conf. quoque ejuſdem Inſtit. Juriſpr. Eccleſ. P. I. S. 2. §. 442.

(*b*) Vide ſupra §. 111. not. a. Hinc circa cenſus, Cathedraticum, exactiones, ſubſidia charitativa, & procurationes, de quibus in Tit. XXXIX. decretal. Gregor. IX. dicitur, ſummus Princeps, ad quem cura quorumvis in Republica temporalium pertinet, jure proprio ſtatuet, nec ultra ab eo determinatum attentare poterunt Epiſcopi.

(*c*) Neque hac in parte ipſe Romanus Pontifex plus juris habet, ac illi per leges civiles, & concordata eſt conceſſum. *Petrus aut ſucceſſor in inſtitutione Chriſti*, ait Joannes Major ſententiar. Diſt. 24. *non habet Dominium in temporalibus, ſed ſolum in illis, quæ Principes ſeculi illi benigne, & gratis contulerunt & conferunt*, & Petrus de Marca, *jam diu quæſtio illa definita eſt in Gallia, ubi pro lege inviolabili habetur, ſummum Pontificem nullam contributionem imperare poſſe in bonis Eccleſiaſticis, abſque expreſſo conſenſu Regis & Eccleſiæ Gallicanæ. — Princeps ſummam habet auctoritatem impediendi exactiones curiæ Romanæ in Regnis ſuis. Piaculum eſſet in Gallia, ſi quis de hac poteſtate dubitaret poſt edicta S. Ludovici Regumque Philippi Pulchri, Caroli V. VI. & VII.* Lib. IV. de Concord. Cap. 12. num. 7. Nempe *per jura Regum* dicit S. Auguſtinus in tract. VII. in Joan. num. 24. *poſſidentur poſſeſſiones* & S. Bernardus L. I. de Conſid. Cap. VI. ita Romanum Pontificem alloquitur: *Quid tibi aliud dimiſit S. Apoſtolus?* QUOD HABEO, HOC TIBI DO. *Quid illud? unum ſcio: non eſt aurum, neque argentum cum ipſe dicat* ARGENTUM & AURUM NON EST MIHI. *Eſto, ut alia quacunque ratione hæc tibi vendices: ſed non Apoſtolico jure: nec enim tibi ille dare, quod non habuit, potuit: hoc dedit, ſollicitudinem ſuper Eccleſias.* Magis ſane & hæc, & principia Juris Publici univerſalis nos movent, quam Canones illi, quibus Pontifex omnium beneficiorum dominus pronunciatur. Conf. Joannes Pariſinus in tractat. de poteſtate Regia & papali in proœmio, Jacobus Almainus de poteſtate ſummi Pontif. Quæſt. I. c. 6. Joan. Gerſon in lib. de vita Spirituali animæ Lect. III. Tom. III. p. 34. & in Cap. XX. ubi dicit: *poſſunt Reges lege lata impedire, ne aliqui portent pecunias extra Regnum, etiam ſi per tales arctationes damnificetur curia Romana non accipiens conſueta ſervitia, quia ſi faciat hoc pro ſuo vel terræ ſuæ commodo, licet inde per conſequentia damnum aliis contingat, ſibi eſt licitum, quia cuilibet licitum eſt uti jure ſuo proprio.*

§. 125. Summo quoque Jure ſibi proprio ſuaque auctoritate transfert III. Princeps civilis bona Eccleſiaſtica eo, ubi major Eccleſiæ utilitas & animarum ſalus exigit (*a*) aut IV. eorumdem, ſi alicubi ſuperflua ſunt, ita ordinabit diviſionem, ut longe lateque diſperſis ovibus cum vero Religionis emolumento plures paſtores, unaque pluribus ex clero digniſſimis Viris occaſio & præmia Apoſtolicorum laborum ſuppeditentur. (*b*) Ex quibus ipſis juribus V. Jus ſummi Principis in determinandis diœceſeon limitibus conſequitur (*c*).

(*a*) Etiam hoc quivis ex §. 101. axiom. VI. item §. 118. facile colligit. Neque hic objici poſſunt Privilegia ab Imperantibus anteceſſoribus data. Etenim hæc ipſa juſtiſſime iterum tolli poſſunt, quam primum reipublicæ ſalus exigit, non obſtantibus quibuſcumque ad firmandam perpetuitatem inſertis ad ipſum numen provocationibus & expreſſis contra quoſcumque ejuſmodi privilegium mutaturos horrendis execrationibus. Quandoquidem legislatorum nullus aut ſe aut ſucceſſores ſuos ad minus bonum inſuper habita majore perfectione immutabiliter retinendum, & præ particulari commodo totius Reipublicæ utilitatem negligendam obligare poteſt; neque apud ipſum Numen ejuſmodi provocationes execrationeſque, utpote divinæ naturali & revelatæ legi nobis neglectum minoris boni in concurſu majoris præcipienti contrariæ, quid valere queunt.

(*b*) Scripſi hæc jam in ordine Princip. Jur. Eccleſ. P. I. §. 55. Et cui quæſo per id quodpiam malum intendo? num Religioni? Enimvero dum præcipuus Eccleſiæ finis æterna animarum ſalus eſt, dum hanc paſtoris præſentia & ab eodem ſpiritualia media percipiendi occaſio tanto magis promovet, quanto eſt opportunior; quomodo non multo utilius, imo & neceſſarium eſt, ut ex ſuperfluis reditibus abundantis beneficii plures exſtruantur Eccleſiæ; ſufficientes ſcilicet alendo plures religionis miniſtros, a quibus fideles, qui antea viam ad parochum ſuum multis fortaſſe horis, ſi tamen etiam ſemper poterant, non ſine periculoſo tædio habebant conficiendam, nunc facilius atque ſolertius erudiri, certiore cum vigilantia immunes conſervari, & contra quaſque ſeductiones præmuniri queant. In contrario propriam multarum ſeductionum cauſam latere, utinam nos non ſæpe experientia docuiſſet. Num Rectoribus Eccleſiæ, qui quidem minus ac anteceſſores, non tamen minus, quam quod ad vitam honeſtiſſimam requiritur, accipient?

pient? læderem bonam exiſtimationem, & reverentiam ejuſmodi Viris debitam, ſi eos animarum curam propter commoda temporalia, taceo propter ſuperflua, aſpirantes vel cogitarem. Num denique toti Clero, ex quo jam pluribus viris digniſſimis plures patebunt viæ ſuum fervorem ſuaſque habilitates exequendi, & digna operario conſequendi præmia, quibus dum ordinationes ad certum beneficium ſecus ac olim rariores ſunt, diutius præſtolari debuiſſent. Ipſa igitur aperta æquitas & tot in populum, in religionem, in ipſum Clerum redundantia emolumenta adſtipulantur. Et nemo me quid novi attigiſſe dicet, dum extat hæc Cl. Rieggeri ſententia: *ſunt profecto beneficiati plurimi, qui tot reditibus ſuperfluis abundant, ut rei Eccleſiaſticæ expediret diviſiones illis imperare, & reditus ſuperfluos uſibus melioribus adplicare. E contra cum minorum Eccleſiarum reditus plerumque non tam pingues ſint, ut ſectionem patiantur, hæc in illis non facile admittenda*. P. 3. §. 294. Quid multis! Ipſe Pontifex Joannes XXII. huic ſententiæ accedit; motus quidem etiam aliis vitiis, quæ ſuo tempore tam ex beneficiorum pluralitate quam opulentia proveniebant. Et poſtquam jam in Extravag. inter commun. de præb. ita ſcripſit: *Interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vendicat ſtipendia, quæ multis literatis viris, vitæ puritate ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, abunde ſufficerent, æqua diſtributione collata*; ſubinde in Extrav. 5. ibid. diviſionem Eccleſiæ Tholoſanæ hiſce verbis præcipit: *conſiderantes attentius quod in tanta multitudine populi, quanta fæcundavit altiſſimus Civitatem & Diœceſim Tholoſanam, ſingulorum vultus nequibat ut condecet, unicus paſtor inſpicere, aut alias partes boni paſtoris implere, quodque durum erat atque difficile per talem latam & diffuſam diœceſim ad unum tantum a perſonis Eccleſiaſticis & mundanis recurſum haberi, adtendentes etiam, quod licet Tholoſanus Epiſcopatus reditibus abundaret immenſis, non tamen ſupererat hucuſque memoria, quod ex ſuorum opulentia copioſa redituum aliquid in Eccleſia vel Diœceſi Tholoſana proveniſſet in divini cultus augmentum, immo ſic ex adipe prodierat, & prodibat iniquitas, ut multo jam tempore luxus circa carnis deſideria, evectionum pompa, immenſitas clientelæ, immoderata diffluxio in parentes, ſumtus enormes, aut uſus extraordinarii ſibi vindicaſſent ibidem quaſi totum patrimonium crucifixi, & verendum erat, ne præſul unicus Tholoſanus incraſſatus & dilatatus & exceſſivis hujuſmodi opibus alias ſuperbus, periculoſe recalcitrans, Deum factorem dereliqueret, & a ſuo ſalutari recedens pernicioſum exemplum in ſubditos derivaret, penſantes quoque, quod ſanctæ memoriæ Clemens Papa V. prædeceſſor noſter eodem etiam tempore, quo civitas & diœceſis, ante ſatæ, longe minus in populo ac reditibus affluebant, tamen ex tunc benedicente domino increaibiliter creverint in utroque, & jugiter creſcere dignoſcantur, ſpiritu beatæ conſiderationis inductus ad diviſionem Epiſcopatus ejuſdem firmiter, dum viveret, intendebat, licet morte præventus ſuum in hac parte nequiverit implere conceptum, nos pium prædeceſſoris noſtri propoſitum in effectum volentes aaducere, & tam diſſipare malum, quod prædictorum redituum copia exceſſiva produxit, quam etiam cultum augere divinum & ſpiritualem animarum profectum, quos (ſi juxta facultatis exigentiam & diffuſam latitudinem dictæ diœceſis ſufficiens numerus in eadem utilitate præſulum deputetur) indubie provenire ſperamus, promovere ſalubriter intendentes, præmiſſis & aliis ſuadentibus juſtis cauſis ex certa ſcientia, de fratrum noſtrorum conſilio concordi & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis ad laudem Dei, exaltationem Eccleſiæ, fideliumque ſalutem, Epiſcopatum ipſum dictamque diœceſim Tholoſonam apoſtolica auctoritate dividimus in quinque diœceſes* &c. Hæc igitur ſummi Pontificis teſtimonia de juſtitia æquæ diſtributionis & diviſionis beneficiorum ſi componamus cum iis, ex quibus paulo ante demonſtravimus temporales Eccleſiæ res non minus ad dominium eminens ſummorum Principum pertinere, quid Juribus pro diviſione beneficiorum Principi aſſertis porro obſtaret, non video. Enimvero diſtributis per poteſtatem temporalem temporalibus Eccleſiæ bonis, manebit poteſtati Eccleſiaſticæ ſalvum ordines & juriſdictionem ſpiritualem idoneis conferendi. Nec iſta, quæſo, dicis cauſa: dependens fore id ſemper ab Eccleſia, pro quibus territoriis juriſdictionem ſpiritualem dare velit. Etenim Chriſtus ſuos Apoſtolos totius orbis Apoſtolos fecit, & ſicut eos de civitate in civitatem ire, & ibi, ubi reciperentur, prædicare, ita etiam eos ſe civitatibus, non ſibi civitates accommodare juſſit. Sed hoc in illo tempore neceſſe dices. Sed ego idem tempore noſtro magis neceſſarium eſſe dico, dum Eccleſia fruitur ſolatio, quod ipſi Imperantes ſua territoria ſucceſſoribus Apoſtolorum aperiant & ſingula ſingulis velint committere. Hæc ſane ſollicitudo Apoſtolorum erat, ut ſingula fidelium loca ſuos haberent paſtores Act. XVI. non ut excluſis aliis paſtor unus plura territoria conſequeretur. Scilicet Salvator MESSI MAGNÆ OPERARIOS; non OPERARIO MAGNAM MESSEM expetiit. *Neque inſtitutæ ſunt* ait Bellarminus Clementi VIII. *Ec-*

cleſiæ

cleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias apud Van-Eſpen. Pag. I. 3. XV. Cap. V. Jam igitur non obiice Cap. 8. 10. 20. 21. 25. 26. 36. &c. de præb. Aut enim de diviſione beneficiorum, quæ nonniſi unico ſuſtentanda ſufficiunt, ſunt intelligendæ, aut ſi ad beneficia reditibus ſuperfluis prædita extendantur, iis, quæ præmiſſa ſunt, longe fortius obſtantibus, non admitti queunt in probationem. Conf. Cl. de Riegger inſt. Jur. Eccleſ. Tit. XI. §. 294.

(*c*) Lege limites diœceſeon. definitos a Juſtiniano in Nov. XI.

§. 126. Cohibebit VI. Princeps eodem jure; ſi qui contingant, abuſus redituum ſtolæ & decimarum; aut iiſdem ſubſtituet reditus alios, & certos, & peragendis ſacris functionibus alendiſque perſonis Eccleſiaſticis ingenue ſufficientes (*a*).

(*a*) Præterquam quod denuo §. 101. axiom. III. IV. & V. & quæ paragrapho 123. dicta ſunt, ſatis ſuperque de propoſitionis huius evidentiæ nos convincant, paucis inſuper capitibus liquido demonſtrari poteſt: *decimas*, ſi non ſub iis generatim alimenta clericis jure divino, videlicet ſecundum Matth. X. 10. & Apoſt. I. ad Cor. IX. 7. I. ad Tim. V. 18. præſtanda, ſed decimam aut præciſe determinatam aliam proventuum portionem intelligas; neque divini Eccleſiaſtici juris eſſe, verum eas, ſicuti ex liberalitate Principum & fidelium venere, ſicuti non aliam, quam reliqua Eccleſiaſtica bona naturam habent, ita etiam pro Reipublicæ & Eccleſiæ ſalute Principis arbitrio ac diſpoſitioni ſubjacere. Nimirum

I. Deus tantummodo Hebræis præſcripſit, ut fructuum ſuorum partem tribuerent ſacerdotibus, & levitis ideo, quia his in diſtributione Chanaan præter quadraginta octo urbes, quas ſparſas per omnes tribus obtinuerant, nulla continua terræ portio obtigit. Joſ. C. XXI. 39. Num. XVIII. 23. 26. Exod. XXII. 29.

II. Ceſſante apud Apoſtolos, eorundemque ſucceſſores iſto decimas colligendi titulo, neque recta ratio, neque novi teſtamenti lex iiſdem hoc jus ad decimas præciſe proventuum portiones confirmat. Enim vero, quod Chriſtus increpans Phariſæos, qui decimas de minimis ſolvebant, graviſſima autem negligebant legis capita, ſubjunxit: hoc faciendum eſſe, illud vero non omittendum Matth. XXIII. v. 23. id minime nos premit, quia abſque dubio Phariſæos ad legem veterem tum obſtrictos etiam decimas ſolvere oportebat. Commonuit eos ſalvator generatim de veteris teſtamenti ab iiſdem tum obſervandi cunctis capitibus, atque ſi reliqua veteris legis capita per id, quod ea non omittenda Phariſæis dixit, pro Chriſtianis non confirmaverat; neque ſolutionem decimarum per id, quod eam faciendam itidem Phariſæis enunciavit, pro Chriſtianis confirmatam fuiſſe dicere poſſumus. Imo

III. Novimus Apoſtolos a Chriſto ad colligendas decimas omnino non inſtructos, ſed ſine pera & cum præcepto, ne quid tollerent in via, eſſe miſſos, Marc. C. VI. 8. Luc. 3. Novimus.

IV. Seculo demum quarto fideles crebris paſtorum monitis permotos, ſenſim decimarum conſuetudinem admiſiſſe, atque cum nulla conſuetudo uſque adeo ſit valitura momento, ut aut legem vincat aut rationem: L. 2. c. *quæ ſit longa conſuetudo*. Subinde

V. Per variorum Imperatorum conſtitutiones huic conſuetudini aut hic & illic derogatum, aut ſaltem limites fuiſſe poſitos; quemadmodum a Juſtiniano reditus alii pro cleri ſuſtentatione ſunt ſubſtituti L. 39. §. 1. Cod. de Epiſc. & cler. Novel. III. Denique cognitum perſpectumque habemus.

VI. Spiritualem Eccleſiæ poteſtatem ad temporalia decimarum aliarumque exactionum onera fidelibus imponenda ſe ſe non extendere, atque

VII. Iſta unice *ad temporale populi Chriſtiani caput, & Epiſcopum in iis, quæ extra Eccleſiam geruntur, a Deo conſtitutum* pertinere.

Hæ profecto conſiderationes pro neceſſitate decimarum nullam rationis legem, nullum Chriſti præceptum, nullam Eccleſiæ poteſtatem, ſed ſolum pro decimarum uſu conſuetudinem & conſtitutiones Principum, queis mutatio, veluti jam toties accidit, porro accidere poteſt, deprehendunt. Et ut omnia ad primam meam propoſitionem contraham, hæ conſiderationes ſatis evincunt, decimas neque Juris divini, aut naturalis, aut poſitivi, neque Juris Eccleſiaſtici, ſed arbitrii Principum eſſe. Qua ex veritate conſequitur

1. Non opus eſſe Pontificis ſummi Privilegio, ut laici ad percipiendas decimas habiles reddantur. Etſi enim laici eo, quo Parochus, titulo: nimirum ob officium ſpirituale & ut Parochi decimas percipere nequeant, id quod neque Pontificis privilegium efficiet, non tamen repugnat, ut alio titulo decimæ a laicis percipiantur. An non enim clericus, qui neceſſaria fortaſſis contraxit debita, ad eadem expungenda jus ſtipendium ſuum percipiendi in creditorem laicum abſque omni privilegio transferre poteſt; etſi laicus ſacrificii miſſæ celebrandi, & ex hoc titulo ſtipendii acquirendi compos non ſit. Adquirit ita laicus ipſum ſane jus ad ſtipendium ex titulo longe alio; atque ita etiam laicus ipſum jus decimandi ex titulo longe alio, quam parochus id habuit, adqui-

adquirere poterit: Et quis illum, qui, dum meus agnatus non eſt, legitimus heres meus fieri nequit; propterea neque ex teſtamento hæredem meum fieri poſſe aſſeret? Id quidem non diffiteor: jus decimandi ad Eccleſiam pertinens non ſine ſolemnitatibus, quæ in alienandis Eccleſiæ rebus requiruntur, alienari debere. Verum ad ſpiritualis tituli ſeparationem cujuſdam Privilegii neceſſitatem non perſpicio, dum ipſa translatione in laicum facta, ut cum *Gerſone de vit. ſpirit.* loquar, omnis jam *ſpiritualitas* deſinit.

2. Quantumvis Can. 1. XVI. q. 7. C. 7. item C. 14. de decimis: omnibus Laicis præſcriptionem juris decimandi prohibeant, rationes tamen illis canonibus expreſſas non evincere, quod prohibitio hæc fieri neceſſario debuerit; imo cum præſcriptio immemorialis vim ſuam etiam in iis exerat, queis Jus commune alias reſiſtit. C. 26. de V. S. & in cit. Can. præſcriptio iſta non excludatur, ab eadem laicis in poſſeſſione juris decimandi pleniſſimam præſtari ſecuritatem.

3. Cum eadem decimarum, quæ aliorum Eccleſiæ bonorum ac jurium temporalium, ſit ratio, & translatio in laicum decimandi jure ſpiritualem illum, quo Eccleſia decimavit, titulum non translatum eſſe ex ſupra dictis conſtet, minime repugnare, ut modo ſolemnitates in alienandis rebus Eccleſiaſticis præſcriptæ obſerventur, ejuſmodi translationi pretium temporale abſque omni ſimonia interveniat. Barthel. opuſc. VII. de decim. Sect. V. §. 4.

4. Subditos aut ſubditum hunc vel illum ab onere ſolvendi decimas, modo Religionis miniſtros per id ſuſtentatio neceſſaria non deficiat, abſque indultu Pontificio per Principem, ad quem temporalium bonorum ac Jurium diſpoſitio in republica pertinet, liberari poſſe; imo ſolum Pontificis privilegium abſque *placeto regio* nulli civilium hac in parte liberando ſufficere, gravatoque illi, qui hactenus non limitatum decimandi jus habuit, ad ſummum Principem uſque ſalvum eſſe recurſum. Sane ex illa Epiſtola, quam ejuſmodi male per Pontificem privilegiatis a Petro Bleſenſi reſcriptam adfert Van-Eſpen J. E. V. P. II. ſect. V. Tit. II. C. VII. §. 18. magnifica ſunt verba hæc: *Quæ eſt injurioſa veſtra immunitas, ut exemti ſitis a decimarum ſolutione, quibus obnoxiæ terræ erant, antequam veſtræ eſſent, ſi in veſtram poſſeſſionem terræ devolutæ ſunt, quare in hoc periclitatur alienum Jus, nam ad vos terræ juxta communem æquitatem cum ſuo onere tranſierunt ---- ſi Dominus Papa indulgentia ſpeciali quandoque privilegiaverit vos, dum ordo veſter in paupertate gaudebat ---- potuit* TOLERARI *ad tempus, licet in communem redundaret injuriam, quod cauſa neceſſitatis fuerat introductum; nunc autem quando veſtræ poſſeſſiones multiplicatæ ſunt etiam in immenſum; privilegia hæc potius ambitionis quam religionis inſtrumenta creduntur. Quidquid indulgent privilegia Eccleſiæ Romanæ, vobis expedire non credo contra conſcientiam veſtram, quod alienum eſt, uſurpare. Quid ſi a ſede illa publicum emanaſſet edictum, quod ubicunque invenitis clericos aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis liceret eos de ſuis evectionibus dejicere; & equos in uſus proprios detinere, quid intereſt, equos rapiatis an decimas?*

5. Etiam præſcriptionem, conſuetudinem, & conventionem eſſe modos, queis exemptio a ſolvendis decimis adquiritur, atque hos ipſos modos ex conſtitutionibus Principum & receptis canonibus habere determinationem, ut eadem in explanatione Canonici Juris ſuo loco tractatur.

6. Speciatim conventionem de remittendo decimarum onere, etſi remiſſio hæc pro pretio temporali fiat, modo iterum eccleſiaſticis alienationibus præfixa norma non negligatur, ſimoniaca labe minime contaminari. Præterquam enim ut P. Engel. ad Tit. de decimis &c. numer. 16. obſervat, quod immunitas nihil ſit ſpirituale, atque adeo in eximendum nil ſpirituale transferatur (id quod etiam ſentire videtur celeb. Boeken num. 77. ad h. T. nobis ea, quæ de natura decimarum, earumque translatione hactenus demonſtrata ſunt, ſufficiunt.

7. Quandoquidem decimæ rerum temporalium naturam non amittunt, dum ad uſum Eccleſiaſticum deſtinantur, & quandoquidem civilibus nituntur legibus, confirmari, id, quod ſupra §. 116. dictum eſt: videlicet cauſas decimarum ad Judicem laicum pertinere, proinde

8. Cum illi, qui Jus decimandi habent, hoc ſuum Jus apud laicum Judicem modis civilibus perſequi debeant, atque obtinere poſſint; neque juxta ipſam Concilii Tridentini mentem ſeſſ. XXV. cap. 3. in Cauſis præſertim civilibus, quando alia remedia ſuperſunt, ad excommunicationis cenſurarumque inflictionem procedendum ſit, vix unquam fore, ut illi, qui decimas ſolvere renuunt, per cenſuras Eccleſiaſticas juſte compellantur. Conf. cl. de Riegger L. 3. Decret. Tit. 36. de decimis.

§. 127. Eodem Jure Princeps VII. rebus Eccleſiæ aut Eccleſiaſticorum quibuſcumque vi eminentis dominii, ſibi jam ipſo univerſali civitatum jure competentis, atque adeo per nullius alterius *indultum* quærendi, in neceſſitate reipublicæ utetur

tur (*a*). Multoque minus violatorum ſacrorum incuſari poterit VIII. de bonis Eccleſiæ atque Eccleſiaſticorum tributa exigens (*b*).

(*a*) De eo facile nos convincit

1. Recta ratio, quæ ut jam ſatis ſuperque demonſtravimus, nos edocet ceſſare affirmativum Dei cultum, ceſſare externi ſplendoris neceſſitatem, quamprimum officia neceſſitatis erga noſmetipſos, aut proximum omnem hac in parte occaſionem adimunt.

2. Sacer Codex 1. Reg. 21. 6. Luc. C. VI. 3. Matth. XII. v. 6. ſane, ſi David atque pauci illi, qui cum eo erant, neceſſitatis cauſa panes propoſitionis ſumere poterant, ſi Chriſtus hominem unicum templo majorem eſſe, & propter eundem miſericordiam, non ſibi ſacrificium fieri voluit, quomodo non etiam Reges alii & integræ reſpublicæ pro ſuis neceſſitatibus res Eccleſiæ ſumere poterunt, quomodo non tot civium millia templo majora erunt, quomodo denique non propter eadem ſacrificii loco miſericordia fieri debebit?

3. Sanctorum Patrum teſtimonium, veluti elegantiſſimum extat Ambroſii apud Grat. Cauſ. XII. q. 2. Can. 70. his verbis: *aurum Eccleſia habet, non ut ſervet: ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus*, anne aliter hæc Ambroſii, quam noſtra ſententia ſonat? audi porro: *Quid opus eſt cuſtodire, quod nihil adjuvat? an ignoramus, quantum auri atque argenti de templo Domini Aſſirii ſuſtulerunt? Nonne melius conflat ſacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ſi ſacrilegus contaminator aſporter boſtis?* Viden quam ſolide S. Pater hic confundat eos, qui rerum Eccleſiaſticarum uſum ſub prætextu Eccleſiaſticas theſauri arculas uſque conſervandi differunt, donec has eaſdem arculas contaminator hoſtis aſportet. Utinam non prioribus temporibus huic illive provincia veriſſimus vates Ambroſius fuiſſet; ſed & illos vir ſanctiſſimus confundit, qui cives omnes prius ſuis opibus exhauriendos, & tum demum extrema in bonis Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum refugia ſumenda eſſe exiſtimant. *Nonne* ait, *dicturus eſt Dominus, cur paſſus es tot inopes fame emori, & certe babebas durum, unde miniſtraſſes alimoniam? cur tot captivi deducti in commercium ſunt, nec redempti ab hoſte occiſi ſunt? melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quam metallorum*. Perſpexit ſane S. Pater ipſis Eccleſiis parum deinde profutura eſſe metallorum vaſa, ſi vaſa viventium perierunt, & inanem fore externum divini cultus ſplendorem, ſi interiere illi, qui hoc ſplendore ad illum cultum moveri debuiſſent. Perſpexit illud, quod Chriſtus Marc. C. III. v. 37. dicebat: *Sabathum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabathum*. Et ſuppreſſit hinc cunctas adverſariorum excuſationes hac ponderoſa coronide. *His non poſſet reſponſum ferri. Quid enim diceret: timui, ne templo Dei ornatus deeſſet? Reſponderet, aurum ſacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus ſacramentorum, redemtio captivorum eſt; Et vere illa ſunt vaſa pretioſa, quod ſanguis ejus operatus eſt*. Quæ omnia etiam exprimit illud Bernardi effatum. *O vanitas vanitatum, ſed non vanior quam inſanior. Fulget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget, ſuos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſerit.*

Dum igitur ipſa ratio, ſcriptura ſacra & teſtimonium Patrum rerum Eccleſiaſticarum uſum ad avertendas neceſſitates concedit, dum neceſſaria rempublicam defendendi media abſque cujusdam alterius indultu Principi competere quivis ex natura Majeſtatis intelligit, dum Eccleſiæ Eccleſiaſticorumque bona uſque quid temporale manere ex eorundem ſitu, natura, & origine pateſcit, quis ejuſmodi uſum Principi denegare præſumet, quis de *indultu* quodam hac in parte Principi neceſſario vel ſomniare poterit? Vide ſupra §. 101. axiom. III. conf. cl. de Riegger I. I. E. P. I. §. 450. & cl. de Martini Poſit. de Jure civitatis §. 235. & 236.

(*b*) Immunitas nempe realis ſeu exemtio perſonarum & rerum Eccleſiaſticarum ab omni genere contributionum & onerum non intelligitur.

1. Ex illa naturalis Juris parte, quam Jus publicum univerſale dicimus, vi cujus omnes omnino cives ob publicæ protectionis commodum, quo cuncti ſeu clerici ſeu laici ſunt, fruuntur, etiam a publicis non eximuntur oneribus, atque ad bonum commune conſequendum vires ſuas conferendi obligationem habent. Profecto neque pietatem ſubvertit ſubjectio, ut S. Cryſoſt. ait, Hom. ad pop. Antioch. neque reverentiam debitorum perſolutio; ergo neque ex natura pietatis, circa quam clerici miniſtrant, profluit, eos quoad tributa non eſſe ſubjectos; neque naturæ ipſius eorundem venerabilis ſtatus repugnat, ut quoad tanquam cives reipublicæ debent, etiam veluti alii perſolvant.

2. Ex doctrina Chriſti & Apoſtolorum.

Matth. XX. 21. Ubi: *reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*

ad Rom. XIII. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis: Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal,

gal, cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Ad Tit. III. 1. Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.

I. B. Petri II. 13. Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis &c.

3. Ex teſtimonio SS. PP. veluti.

S. JUSTINI MARTYRIS. *Illud etiam ſtudio nobis eſt, ut vectigalia* & *cenſus iis, quibus hoc munus commiſiſtis,* PRIMI *omnino pendamus; quemadmodum a Chriſto inſtituti ſumus.* In Apolog. 1. num. 7.

S. Chryſoſtomi. Qui omnia inſidet effugia, dum *Hom. 22. ad Rom. XIII.* ſcribit: *oſtendens ordinari hæc ſacerdotibus non ſæcularibus ſolum — omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, etiamſi evangeliſtes, etiamſi prophetes, etiamſi quiſquis es. Hæc enim ſubjectio non ſubvertit pietatem.*

S. Auguſtini in Expoſ. quarum. prop. ex Epiſtol. ad Rom. XIII. *Si quis putat, quoniam Chriſtianus eſt, non eſſe vectigal reddendum aut tributum — iis, quæ hæc curant, poteſtatibus, in magno errore verſatur.*

S. Hilarii Epiſc. in comment. ad cap. 22. Matth. *ſi enim nihil, quod Cæſaris eſt, penes nos* (atque adeo loquitur de ſe Epiſcopo clericis & cunctis fidelibus) *reſederit; conditione reddendi ei, quæ ſua ſunt, non tenebimur: porro autem ſi rebus illius incumbamus, ſi jure poteſtatis ſuæ utimur, extra querelam injuriæ eſt, redhibendi Cæſari, quod Cæſaris eſt.* Quam belle S. Pater totum immunitatis commentum deſtruit; dum eo tantum caſu, quo nihil a Cæſare & Republica habemus, quo rebus illis non incumbamus, quo jure poteſtatis & protectione non utimur, qui videlicet caſus nonniſi intereunte civitate exiſtit; nihil cæſari reddendum eſſe enunciat.

S. Ambroſii Qui apud Grat. C. XI. qu. 1. c. 27. ait, *ſi tributum petit Imperator, non negamus: agri Eccleſiæ ſolvunt tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vendicandorum.* Comment. ad cap. V. Luc. Lib. IV. Cap. penult. *Magnum quidem eſt, & ſpirituale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubjecti, ne quis putet poteſtatem terreni Regis eſſe ſolvendam. Si enim cenſum filius Dei ſolvit, qui tu tantus es, qui non putes eſſe ſolvendum? & ille cenſum ſolvit, qui nil poſſidebat, tu autem qui ſæculi ſequeris lucrum, cur ſæculi obſequium non recognoſcas, cur te ſupra ſæculum quadam animi arrogantia effers, cum ſæculo ſis miſera cupiditate ſubjectus.* SI TU VIS NON ESSE CÆSARI OBNOXIUS, NOLI HABERE, QUÆ MUNDI SUNT, SED SI HABES DIVITIAS, OBNOXIUS ES CÆSARI. SI VIS REGI NIL DEBERE TERRENO, RELINQUE OMNIA & SEQUERE CHRISTUM. Abſque dubio juri divino naturali æque ac poſitivo repugnat a tributis non immunes relinquere illos, qui *neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis ſuis, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta poſſident.* Matth. X. v. 9. & ſeq. vide etiam ultro offerentium exempla in

S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui L. III. Epiſt. 34. ita ſcribit: *Paulo poſt Rex noſter iturus in Normanniam multa pecunia indiguit. Antequam a me quidquam peteret, Conſilio amicorum promiſi illi pecuniam non parvam* & in

S. Luppo Abbate Ferrarienſi ſub Carolo Calvo, qui in Epiſt. 32. ſcribit; *Reges noſtri adverſitati condolens, quidquid muneris conſequi potui, per vos offerendum direxi;* Bilioth. P. P. Tom. XV. p. 17.

4. Ex effato Pontificis Urbani *Quod in ore piſcis invenitur, pro Petro & Domino dari jubetur: quia de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace & quiete; qua nos tueri ac defendere debent, Imperatoribus perſolvendum eſt,* apud Gratian. Cauſ. XXIII. q. VIII. can. Conſ. Clemens XIV. *De Spiritu Eccleſiæ.*

5. Ex veteris Eccleſiæ praxi, cum octo præterierint ſecula abſque aſſertione *immunitatem clericorum realem divini juris eſſe*, & manifeſtæ ſint conſtitutiones ſummorum Principum circa bona, tributa, & ſervitia etiam clericis latæ. Ita nempe

Gratianus Imperator. Ad portus & aquæ ductus, & murorum inſtaurationem ſive extructionem omnes certatim facta operarum collatione inſtare debent; neque aliquis ab hujuſmodi conſortio dignitatis Privilegiis excuſari l. 7. cod. de oper. publ.

Honorius Imperator. Ad Inſtructiones itinerum pontiumque etiam divinas domos, & venerabiles Eccleſias tam laudabili titulo libenter adſcribimus: quia non eſt inter ſordida munera numeratum l. 7. cod. de Sacroſ. Eccleſ.

Conſtantinus. De his clericis qui prædia poſſident, ſublimis auctoritas tua non ſolum eos aliena juga nequaquam ſtatuet excuſare: ſed etiam pro his prædiis, quæ ab ipſis poſſidentur, eoſdem ad penſitanda fiſcalia perurgeri, ad Taurum præf. Præt. l. 3. cod. de Epiſcop. & Clericis.

Theodoſius II. Neminem ab angariis vel parangariis vel plauſtris vel quolibet munere excuſari præcipimus, cum ad feliciſſimam expeditionem noſtri numinis omnium Provincia-

cia-

cialium per loca, qua iter arripimus, debeant ſolita nobis miniſteria exhiberi, licet ad ſacroſanctas Eccleſias poſſeſſiones pertineant l. 11. c. de ſacroſ. Eccles.

6. Ex ipſo ortu & progreſſu immunitatis ab Imperatoribus conceſſæ. Hiſtoria etiam Eccleſiaſtica & profana & ipſæ leges circa immunitatem realem latæ nos edocent

1. Immunitatis privilegia ortum ſuum habere ex liberalitate *Conſtantini M.* qui bona quidem ad Eccleſias pertinentia a quibuſcumque, ipſos autem clericos & eorum prædia tantum a collationibus novis exemit. L. 1. cod. Theod. de anon. & Trib. L. 4. cod. Juſt. eod. L. 8. cod. Theod. de Epiſc. & Cleric.

3. Acceſſiſſe iisdem privilegiis augmentum per *Conſtantinum Conſtantini M. Filium*, maxime quoad immunitatem a muneribus civilibus, curialibus, & ſordidis ita tamen, ut idem Imperator ad penſitanda fiſcalia etiam clericos perurgeri juſſerit. L. 9. 10. 11. 14. 15. 16. Cod. Theod. de Epiſc. & cler. L. 2. 3. 16. Cod. Juſt. ibid.

3. Variaſſe hæc privilegia adeo, ut ab Imperatoribus jam conceſſa, jam reſtricta, jam abrogata penitus, jam iterum firmata fuerint, uti tam Theod. quam Juſt. Codex Tit. de Epiſc. & cl. de Luſt. Coll. de extraord. num. de SS. Eccleſ. Novell. 37. Nov. 43. c. 1. Nov. 131. c. 1. & 5. clariſſime exhibent.

7. Ex conſenſu veterum & recentiorum eruditiorum. Ita enim

Hincmarus Rhemenenſis in opuſc. 29. *Cauſa ſuæ defenſionis Regi ac reipublicæ vectigalia, quæ nobis annua dona vocantur, præſtat Eccleſia, ſervans, quod jubet Apoſtolus:* CUI HONOREM, HONOREM, CUI VECTIGAL VECTIGAL *ſubauditur: præſtate Regi ac defenſoribus veſtris* Tom. II. p. 525. & in opuſc. 46. *Militiam ad defenſionem S. Eccleſiæ ſecundum poſſibilitatis quantitatem juxta antiquam conſuetudinem, Regiæ diſpoſitioni exhibere debet Epiſcopus, & ſecundum domini juſſionem, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & Deo, quæ Dei ſunt, reddere*. Neque ut ait

Antonius Charlas Doctor Pariſienſis *ſecuritas Eccleſiarum & bonorum Eccleſiaſticorum cum incolumitate ſtatus politici conjuncta eſt — Itaque Eccleſia Regem ejus ope indigentem juvans, propriis etiam rationibus conſulit*. De libertat. Eccles. Gallic. L. IV. c. 12. num. 7. Item

Michael Rabardeus. Quia Clerici Patriæ ſuccurrere jure naturali & gentium obligantur, & quia Eccleſiæ & temporalia bona illis adjuncta tam firmiter cum tranquillitate regni & reipublicæ conjuncta ſunt, ut non poſſint abſque illius integritate ſalva ſartaque conſervari; itaque neceſſarium eſt, clericos non ſolum ſacrificiis, orationibus, & religioſis officiis reipublicæ bonum, ſalutem & integritatem procurare, ſed etiam pecuniis, induſtria ſua, vel manibus, quantum hoc neceſſarium videbitur, contra malignos hoſtium domeſticorum & extraneorum impetus pro virili ſua defendere. in Optat. Gallo Sect. III. n. 3.

Hinc nos ab aſſertione noſtra tam mathematice certa non abſtrahunt,

1. Aperta illa calumnia, quaſi novis commentis perſonas Eccleſiaſticas premendi cauſa inſidiaremus. Anne enim hæc commenta, anne nova ſunt, quæ ex naturali jure, ex doctrina Chriſti & Apoſtolorum, ex veteri Eccleſiæ praxi & ex hiſtorica antiquiſſimorum temporum fide deſumta ſunt? anne immunitatem realem per id, quod eam non divini aut Eccleſiaſtici juris eſſe admittimus, etiam clericis tum, quando eis ex principum privilegio competit, negamus?

2. Arbitrariæ ab adverſariis noſtris adhibitæ SS. Literarum explanationes, dum ab ipſis Conciliis via ſecuriori ad magis genuinos earundem interpretes, videlicet SS. Patres mittimur, atque horum potius interpretationem palam, ut illam paulo ante retulimus, homini cuivis Chriſtiano, taceo docto & prudenti adprehendendam eſſe tutiſſimi decidimus.

3. Provocationes ad *Pharaonem* Gen. XLVII. 22. & *Artaxerxem* I. Eſdræ VII. 24. Etenim quod *Pharaonem* attinet, res ita ſe habuit: Preſſi extrema fame Ægyptii pro alimonia terras ſuas Pharaoni vendidere, non tamen ſuas vendidere Sacerdotes. Poſtquam itaque Pharao has terras venditas Ægyptiis reſtituit ea conditione excolendas, ut quintam fructuum partem ſolverent; hæc ſolutio a Sacerdotibus, a quibus Pharao terras nullas accepit, quibus proinde nullas ſub illa conditione reſtituit profecto exigi non potuit. Quid ergo pro immunitate reali eo in ſenſu, in quo nobis cum adverſariis diſputatio eſt, inde exſculpere queunt? Si bene novimus *Artaxerxem* a levitis non exegiſſe tributa, verum magnanimitatis Regiæ, non divini juris veſtigium hoc in exemplo deprehendimus. Reſervavit ſibi Artaxerxes omne judicium de eo, qui Dei & leges Regias non ſervaſſet; an non ita omnem illam immunitatem a ſua poteſtate dependere luculenter indicavit?

4. Provocationes ad exemplum ipſius Dei, qui Levitas veteris teſtamenti oneribus exemit; ad illud Pſalmiſtæ, *nolite tangere Chriſtos meos*, ad locum Matth. C. XVII. 14. & ſeq. ubi Chriſtus filios Regum a tributis liberos pronunciat. Enimvero, ut ſupra diximus, in diviſione terræ ſanctæ nulla levitis portio obtigit, ſed iisdem, ut nil aliud poſſidebant, & neceſſaria tamen vitæ ſuſtentatione non deſtituantur, conſtitutæ ſunt decimæ, quas igitur

oneri-

oneribus exhaurire repugnaſſet juſtitiæ. Illud *nolite tangere Chriſtos meos*, quid ſibi velit, pariter jam alibi explanatum eſt. Atque non ad Principes & magiſtratus populi, ſed extraneos populo Dei interitum minitantes; Non propter ſacerdotes tantummodo, ſed populum integrum; non de tributis & vectigalibus, ſed injuriis non inferendis hæc dicta fuerant. Sic quoque verba Chriſti *ergo liberi ſunt filii*, ad probandam immunitatem realem trahi nequeunt ideo, quia non tantum clerici ſed Chriſtiani omnes filii Dei ſunt, atque ita Chriſtianos omnes contra Matth. XX. 21. ad Rom. XIII. 5. ab oneribus publicis immunes eſſe; ac proinde & nimium & contradictio ſequeretur. Profecto ſeu hoc textu Chriſtus ſe tanquam Regia Davidis de ſtirpe natum, ſeu quia tributum, illud ab exteris forſitan perſolvendum erat, ſe tanquam indigenam, ſeu exacto fortaſſis ad exſtruendum Deo templum cenſum ſe tanquam Dei filium liberum pronunciavit; omnia hæc tamen nobis pro immunitate non patrocinari manifeſtum eſt. Conf. Covaruvias in practic. quæſt. cap. XXXI. Benedictus Juſtinianus in Epiſt. ad Rom. cap. 23. S. Thomas in II. ſent. diſt. 4. quæſt. 2. art. 2. S. Bonaventura ad eund. loc. Quæſt. I. ad I. Delbenius de Immunit. Eccles. cap. I. S. 2. Sixtus Senenſis in Bibliothec. ſancta L. VI. ad not. 26. Sed cumprimis naturali expoſitione reſpondet Boſſuet: *Filius Dei voluit ſolvere cenſum, quem utpote indigena non debebat, tantummodo ne ullum detrimentum ordo politicus Reipublicæ pateretur. Ex propriis S. Scripturæ verbis Politica*. P. I. Primus Liber VI. A. II. 8. pag. 59. Et illis, qui omnibus rectæ rationis, Scripturæ, SS. Patrum, ceteriſque allatis teſtimoniis tamen non permoti inſiſtunt: Chriſtum tantummodo removendi ſcandali cauſa tributum ſolviſſe, optime his verbis reſpondet Lochſtein: *Si ergo Chriſtus ipſe Dominus temporale tributum ſolummodo ad ſcandalum evitandum ſolvit, deberent etiam ſui ſervi, ſaltem ne ſcandalum eveniat, ſolvere. Si illo tempore ſcandalum populo fuiſſet Chriſti repugnantia ad tributum ſolvendum, qui nihil poſſidens, nedum habebat ubi reclinare caput ſuum: multo majus ſcandalum eſſet hodie gentibus, ſi ſervi ſui nullum tributum ſolvere vellent: in ſecunda Parte*, Cap. V. §. 5.

3. Non abſtrahunt nos plurium quam unius Concilii canonum conſtitutionumque tot Pontificiarum allegationes; utpote dum nos jam §. 101. axioma I. & II. de poteſtate Eccleſiæ ſolummodo ſpirituali, & ab eadem nullum juribus Majeſtatis præjudicium fieri poſſe ejusdem §. axioma III. IV. & V. ... præmiſſis clariſſimis demonſtrationibus admonuit. Libertates (dicebant Theologi Philippi Pulchri Regis contra Bullam Bonifacii) *per ſtatuta Romanorum Pontificum de benignitate vel ſaltem permiſſione Principum ſecularium Clericis conceſſa vel permiſſa, ipſis Regibus Regnorum ſuorum gubernationem ac defenſionem auferre non poſſunt nec ea etiam, quæ dictæ gubernationi & defenſioni neceſſaria ſeu expedientia judicantur*. Et ſcimus utique, qua ratione corpus Juris Canonici receptum ſit (Tom. I. hujus introduct. §. 52. & quod adverſus eſſentialia Majeſtatis jura, quibus ſummum in civitate Imperium tenentes renunciare nequeunt, nec recipi potuerit. Imo, ut aurea clariſſimi Rieggeri verba ſonant, *Quod extravagantes aliaſque Pontificum conſtitutiones non ad ædificandum publici juris factas, præſertim eam, quæ de* Cæna domini *nomen habet, attinet, melius Eccleſiæ proſpectum eſſet, ſi vel nullo unquam tempore ſolem aſpexiſſent, vel ſaltem in poſterum æterno ſilentio involverentur hominumque memoriæ eriperentur*. Conf. Cl. de Riegger. I. I. E. P. III. §. 907. & ſeq. cl. de Martini Poſit. de Jure civitatis §. 176. 225. & ſeq. Et *Vita P. Clementis XIV. ex Gallico idiom. D. Caraccioli*, qui ita pag. 55. *Ad hujus pacis confirmationem, omiſit Clemens (res immortalis ejus gloriæ, & ſine exemplo) legere Bullam* in Cœna Domini, *eo momento, quo, ut mos eſt, magna cum feſtivitate promulgari debebat. Hæc Bulla, tametſi Sancti Pontificis Pii V. opus, non eſt eo nomine melior, & indignantur Reges quum ipſis de ea ſit mentio*: nec non P. Contini *in Conſiderat. ſuper Cœnæ Bulla* p. 316. ubi ſic ſcribit: *Revera hoc anno* (1769) *in omnibus Aulis edicta apparuerunt, uſum & publicationem hujus Bullæ prohibentia; quæ, juxta quorumdam horum edictorum verba, doctrinæ Evangelii, populorum tranquillitati, Regumque juribus repugnat*. Denique Edictum Auguſtiſſimæ noſtræ 10. Octobris 1768. in Lombardia publicatum non tantum eandem Bullam reprobat, ſed & declarat illam in terris Auſtriacis nunquam receptam, & legitime admiſſam fuiſſe. Neque

6. Obtenta, neſcio quæ, antiquiſſimis temporibus privilegia, de hiſce enim jam ſupra diximus. Neque denique

7. Si provocaretur ad præſcriptionem, quæ ſcilicet, a nullo niſi qui præſcriptionis notionem exiguam habet, ſubditis, quales ſemper Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ in temporalibus manent, contra ſummum Imperantem eſſentialia majeſtatis jura exercentem adtribuetur.

§. 128.

§. 128. Sed & IX. obtutu bonorum temporalium ſeu in Eccleſias ſeu in Monaſteria, ſeu in ſingulas perſonas Eccleſiaſticas ultra certam quantitatem devolvendorum, juſtiſſime ſummus Imperans pro Reipublicæ bono leges *amortizationis* conſtituet (*a*).

(*a*) De Juſtitia legum *amortizationis* ipſum ſupremum numen ceu Iſraeliticæ civitatis Rector teſtimonium ſuo exemplo præbuit; lata videlicet illa lege: de Sacerdotibus & Levitis: NIHIL ALIUD POSSIDEBUNT *decimarum oblatione contenti quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi — non habebunt Sacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt* PARTEM ET HÆREDITATEM *cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia domini & oblationes ejus comedent. Et* NIHIL ALIUD ACCIPIENT DE POSSESSIONE FRATRUM SUORUM: DOMINUS ENIM IPSE EST HÆREDITAS EORUM — *non erit autem eis* HÆREDITAS. EGO HÆREDITAS EORUM; & POSSESSIONEM *non dabitis eis in Iſrael*, EGO ENIM POSSESSIO EORUM, *Num. XVIII. Deut. XVIII. Ezech. XLIV.* Atque ante omne exemplum divinum poſitivum jam lex naturalis, quæ non minus divina eſt, illa exſtitit: eum qui curam reipublicæ habet, generatim omnia in republica ita temperare debere, ne quid detrimenti ulla ex parte Reſpublica capiat; ſummus igitur Imperans quidni & quantitatem rerum ad Eccleſias, monaſteria & perſonas Eccleſiaſticas devolvendarum ita temperare poterit? Juſtiſſimas igitur non dicere non poſſumus omnes illas leges, quas hac in parte a piiſſimis principibus Leopoldo, Carolo VI. & regnante modo Auguſtiſſima noſtra, quam certo ſeri poſteri *Thereſiam* pietate & prudentia legislatoria *Maximam* compellabunt, complures accepimus. Profecto novimus ejuſmodi leges jam antiquitus a ſummis Principibus eſſe perlatas. Conſtituit nempe

Valentinianus ad Damaſum Papam: *Cenſemus etiam, ut memorati Eccleſiaſtici, aut ex Eccleſiaſticis, vel qui continentium ſe volunt nomine nuncupari, nihil de ejus mulieris, cui ſe privatim ſub prætextu Religionis adjunxerint; vel donatione vel teſtamento poſſint adipiſci. Quin etiam, ſi forte poſt admonitionem legis noſtræ, aliquid iiſdem eæ feminæ vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiſcus uſurpet.* L. 20. Cod. Theodoſ. de Epiſc. & Eccleſ. & Cler.

Theodoſius M. ad Tatianum Præf. præt. circa Diaconiſſas: *Si quando diem obierit, nullam Eccleſiam, nullum Clericum, nullum pauperem ſcribat hæredes: Careat namque neceſſe eſt viribus, ſi quid contra vetitum circa perſonas ſpecialiter comprehenſas fuerit a moriente confectum. Imo ſi quid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fidei commiſſo aliquid Clericis in fraudem venerabilis ſanctionis callida arte aut probroſa cujuſpiam conhibentia deferatur* &c. L. 27. ibid.

Conf. Thomaſin. Tom. III. de nov. & veter. Eccleſ. diſcipl. L. I. cap. 33. & 34.

Et quod eædem leges a ſanctiſſimis viris ſumma cum reverentia ſint obſervatæ, patet ex Epiſtola Ambroſii ad Valentinianum, quæ ita habet: *Nobis etiam privatæ ſucceſſionis alimento recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur: non enim putamus injuriam, quia diſpendium non dolemus.* Nec objice Epiſtolam S. Hieronymi ad Nepotianum Tom. III. p. II. pag. 260. ubi etiam legitur: *pudet dicere, ſacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ & ſcorta hæreditates capiunt: ſolis Clericis ac Monachis hac lege prohibetur: & non prohibetur a perſecutoribus, ſed a principibus Chriſtianis.* Legantur enim ſtatim ſubſequentia: *Nec de lege conqueror, ſed doleo, cur meruimus hanc legem: & tamen nec ſic refrænatur avaritia*: Patet ergo S. Patrem non de lata amortizationis lege, ſed de vitiis ſui temporis conqueri. Similem cum Hieronymo querelam dum nos haudquaquam inſtituimus, aſſerentes ſcilicet: Principi intuitu Reipublicæ multas alias cauſas eſſe poſſe amortizationis leges condendi; tam Principes ejuſmodi legem ferentes, quam perſonæ Eccleſiaſticæ, quibus perfertur, extra omnis querelæ periculum ſunt conſtituti. Illis, qui contra legem amortizationis denuo Theſauri arculas pro extremo reipublicæ commodo implendas conſervandaſque amant, revocabis ea omnia, quæ paulo ante not. e. ſat aperte diximus. Addas ſtultiſſimum fore, ſi quis in unam corporis venam ſanguinem contrudere, & reliquas evacuare atque indigentes facere vellet, ut una plena deinde pro evacuatis adſit. Repeto fortaſſis fore, ut arculas has contaminator aſportet hoſtis. Repeto eaſdem membris illis, quæ jam interjere, non profuturas. Diſperdunt quidem privati, non diffiteor, ſæpe bona ſua, & non ita in arculis collecta ſervant; ſed quid inde? diſperdant per nos licet., modo non e Republica diſperdant. Habebimus nempe ita unum alterumve prodigum ſua culpa miſerum, quem ipſa miſeria jam de variis officiis Reipublicæ præſtandis, atque ita ſibi alimonia comparanda ſollicitum reddet; Bona illa autem, quæ diffudit, tamen ſemper in republica, & ſimul cives, inter quos eadem circulabunt, non tot miſeros habebimus. Paucis! præſtat quoſdam ex prodigalitate, quam omnes ex defectu miſeros.

ſeros cernere, atque facilius, ſi facultates adſunt, per bonas leges prodigalitati antevertitur, quam cives egeni ſine pecuniarum circulo opulenti reddantur. Ad illud cap. 1. de immunit. Eccleſ. in ſexto; ubi ſancitur, *non licere iis, qui juriſdictionem temporalem obtinent, ipſas Eccleſias vel perſonas ad diſtrahendum vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum acquiſita jam, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus arctare*; noſtra reſponſa eadem ſunt, quæ ſupra §. 127. dedimus, quibus addere lubet Reſponſum Ægydii Romani ex Ordine Eremit. S. Auguſtini in procemio Tractatus in favor. Philippi Pulchri, diſt. VIII. *Iſta conſtitutio nova eſt, nondum a principibus approbata; quam, ad diſcuſſionem cum pervenient, nunquam forſitan approbabunt: quia per iſtum modum perſonæ Eccleſiaſticæ tantas poſſeſſiones acquirere poſſent, quod inde damnum & præjudicium intolerabile Principibus proveniret*. Conf. etiam cl. de Riegger I. I. E. P. I. §. 451. cl. de Martini Poſit. de jure Civitatis §. 188. §. 189. & infra §. 83.

§. 129. Quod denique X. Jus Aſyla quemadmodum ea conſtituendi, ita etiam tollendi vel reſtringendi ad Jura Majeſtatis pertineat, nullus deducet in controverſiam, quicunque Juris publici univerſalis, ſacrarum literarum, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & profanæ, ac ſtudii politici peritus eſt, atque receptionem & admiſſionem quantumvis diuturnam editarum hac in parte conſtitutionum Pontificiarum, qualis illa fuerit, & qualis potuerit eſſe, penitius perſcrutatur (*a*).

(*a*) Veluti *immunitas perſonalis* de qua ſupra §. 112. & *immunitas realis*, de qua paulo ante egimus, ita etiam *immunitas localis*, ſeu *Aſylum, vi cujus locus ſacer vel religioſus ſecuritatem præſtat iis, quibus ob læſam rempublicam juſta coercitio imminet*, neque juris divini aut naturalis aut poſitivi, neque juris humani Eccleſiaſtici, ſed Principum arbitrii eſt, nam

1. Ex natura loci ſacri aut religioſi non intelligitur eundem violari, ſi inde ſalutis publicæ hoſtes ad juſtam animadverſionem extrahantur. Sane recta ratio perſpicit, naturalem potius ſacræ ædis dignitatem vel debitam eidem reverentiam tuam vel maxime obſervari, quando ea generatim refugium latronum, & juſtitiæ impedimentum eſſe non ſinitur. Non quæſo objice, ex natura Eccleſiæ intelligi, eam non ſitire ſanguinem. Neque enim reſpublica, neque privatorum ullus, qui ſe contra injuſtum adgreſſorem defendit, hujus ſanguinem ſitit. Abſque ſiti tam barbara & ex naturali lege, cui Eccleſia obſtare nequit, etiam in Eccleſia jus neceſſariæ defenſionis obtinet. Rapiunt publicorum criminum rei non tantum huic illive privato vitam aut bona, ſed reipublicæ integræ ſecuritatem, & quandoquidem exemplis peſſimis, eorumque impunitate nebulonum augetur numerus, hæc ſecuritas tamdiu rapta manet, donec ea vindicatis publice ejuſmodi exemplis & ſublata ſectari volentibus impunitatis ſpe, quantum poſſibile eſt, reſtituatur. Porro igitur recta ratio dictat, Eccleſiam locumve alium ſacrum, nec quidem reſtitutioni, quæ privato, taceo, quæ Reipublicæ integræ fieri debet, ex natura ſua obeſſe poſſe, atque ideo illos Religionis miniſtros graviſſimo certe ſe contaminare peccato, qui delinquentibus ad libertatem promotis, horum aliorumque iis ſimilium, Aſylo animatorum, rapacitati tot concives & proximos ſuos, imo ipſas Eccleſias, quibus neſcio, quantum honoris ſe præſtitiſſe exiſtimant, imprudentiſſime exponunt. Denique natura Aſyli adgratiationem involvit, quam ſolum ab illo, cui ob Imperium temporale, jus vitæ & necis competit, non a perſonis Eccleſiaſticis dependere eſt certiſſimum.

2. In ſacris Literis tantum abeſt, ut præceptum de ejuſmodi Aſylo, de quali hic nobis ſermo eſt, deprehendamus, ut potius contrarium cuivis cernere liceat. Sat enim clara ſunt Numinis verba, quæ protulit per Jerem. VII. 8. & ſeq. ubi ait: *Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacii, qui non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt Deos alienos, quos ignoratis. Et veniſtis & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis: liberati ſumus, eo quod fecerimus omnes abominationes iſtas. Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum?* Ad quod provocans Chriſtus Matth. XXI. *ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*; quin iſte ejectionis actus everſioniſque reverentiam templo debitam violaverit. Enimvero ſi cauſa ejectionis juſta, ſi ejectionem pietas & juſtitia poſtulat, templo Dei per eam omnino nil demitur. Qui conſtitutas in vetere lege refugii civitates nobis objiciunt, iſti profecto ſuam inſcientiam, non item immunitatem probant. Erat nimirum apud Judæos ob nimium eorumdem vindictæ ſtudium *minus plene*, ſeu in foro externo permiſſum, ut is, cujus conſanguineus occidebatur, tanquam vindex ſanguinis occiſorem deprehenſum interficeret. Quandoquidem

autem

autem ejuſmodi occiſor neceſſariæ defenſionis ſuæ cauſa talis eſſe, atque adeo juſte occidiſſe poterat, Numen has civitates conſtituit, ut ibidem tuti eſſent homicidæ, donec de delicto conſtaret. Hoc deprehenſo Numinis præceptum ita ſonat: *Mittent* SENIORES CIVITATIS ILLIUS, ET ARRIPIENT EUM DE LOCO EFFUGII, *tradentque in manus proximi, cujus ſanguis effuſus eſt, &* MORIETUR. Viden, quantum illæ refugii civitates ab Aſylis noſtris diſtent? Ibi vindictæ innocens, hic nocens juſtitiæ ſubtrahitur. Inde noxium ſeniores civitatis ad pœnam rapiunt, hinc ſæpe Magiſtratus tamdiu excluditur, donec abſque cauſa cognita nebuloni in libertatem, toti Reipublicæ pernicioſam, ſe conferendi commoda occaſio ſuppeditetur. Atque ne putes, plus in ejuſmodi civitate refugii, quam coram ipſo Numinis altari licere; audi porro divinam ſententiam, quam Exod. C. XXI. 14. ita dictam legimus: *ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias*, AB ALTARI MEO EVELLES EUM, UT MORIATUR. *Ab Altari*, ergo nec ipſum etiam altare ſceleratos punienti Reipublicæ ſubtrahit. *Evelles*; ergo neque ab altari ſceleratos evellere, atque ad promeritam extrahere coercitionem reverentiam altari debitam ſubvertit. *Ut moriatur*, ergo denique nec altari ſupplicium legibus determinatum in pœnam *extraordinariam* convertendi vis ineſſe conſpicitur. Ubi igitur divinum de Aſylis noſtris præceptum eſt? Sed in novo, ajunt teſtamento Chriſtus adulteram illam ad ſe venientem neque condemnabat ipſe, neque ab aliis condemnari ſinebat, neque alii eam condemnare auſi ſunt. Quid inde? ergo Jus Aſyli ſibi vindicavit? profecto hanc conſequentiam nullus, qui logices peritus, qui textus non ſibi pro lubitu accommodandi, ſed rite intelligendi amans eſt, eruet. Cur quæſo non etiam ex eodem textu concludunt, nullum delinquentem criminali judicio condemnandum eſſe, & propterea totum jus criminale ceſſare debere? Quæ toto in hoc textu adverti queunt, hæc ſunt; 1. Chriſtum fuiſſe a Phariſæis tentatum, ut vel contemtæ legis reus incuſari poſſet, ſi abſolveret; vel ſi condemnaret, ipſo hoc facto apud populum fama manſuetudinis & amore exueretur, 2. Chriſtum noluiſſe facere judicem criminalem, 3. ab eodem nequaquam accuſatores fuiſſe prohibitos, ne lapides in eam projiciant, ſed 4. in pœnam factæ tentationis objectatione peccatorum, quibus ipſi ſcatebant, tantummodo eximie confuſos. Ergo Salvator non adulteram non condemnavit, quaſi ei Aſylum dediſſet; ſed ſicuti univerſe judicem ac diviſorem, ita & judicem criminalem agere noluit. Ergo non adulteram lapidationi ſubduxit, ſed accuſatores tam inopinato reſponſo turbati & ne fortaſſe plura de propriis criminibus percipere deberent, ſe ipſi e veſtigio ſubduxere. Ergo Chriſtus accuſatoribus & tentatoribus; non obſervantiæ legis & exemtioni Juſtitiæ ſuum effatum oppoſuit. Ergo denique non hic inſtituit Aſyla; ſed uti ab omni judicio criminali, ita etiam a judicio circa Aſyla, quod ad Jus vitæ ac necis pertinet, fuit alienus. *Mos judæorum erat, ex lege, ut teſtes primum lapidem in malefactorem jacerent. Hoc, dicit hic Chriſtus, illi facere debent, qui ſe noſcunt gravis peccati inſontes, ut eorum tentamine erubeſcerent, ejus autem manſuetudinis gloria, abſque juſtitiæ detrimento, confirmaretur. In quatuor Evangeliorum verſione defuncti Epiſcopi Paſſavienſis, Comitis de Thun*, pag. 469. ad v. 7. cap. 8. S. Joan. Totum ſane hoc exemplum Chriſtus fidelibus eorumque Rectoribus non pro foro externo criminali ſed pro foro conſcientiæ reliquit, ut ſcilicet 1. fidelium quivis potius de propria ratione vitæ examinanda ſollicitus, non accuſando, dijudicando & ſtatim temere condemnando ſuo proximo ſe occupet, 2. condolendum eſſe ſummis etiam peccatoribus, eoſque alia longe quam externa criminali ſeveritate ad veram pœnitentiam & ad viam æternæ ſalutis reducendos. Royamont Prior de Sombreval *Epitome omnium caſuum Veteris, & Novi Teſtamentorum SS. Patrum explicatione*, pag. 733. Hujuſmodi objectationibus tantum abeſt, ut cauſa noſtra reddatur infirmior, ut per eaſdem potius apud omnes roboretur, quicunque animum honeſtiſſimum veritati pandunt. Tales enim facile vident, nos nihil ex noſtro cerebro enatum adferre, ſed verba & exempla a nobis allata, ita prorſus, uti allata ſunt, in ſacro codice & in SS. Patrum ſcriptis deprehendi; argumentis vero adverſariorum reponi poſſe, quod concilium Senonenſe anno 1528. in 4. decreto fidei habet: *mutilum eſt & prorſus invalidum, ſumtum e ſcriptura argumentum, ſi pro cujuſque arbitrio, quod adductum fuerit, in eam quam ſemel imbiberint ſententiam pertinacius detorqueant*. Et illud S. Ambroſii: hæc argumenta *non tam vincula ſunt adpellanda quam phantaſmata, id eſt umbræ quædam & imagines, quæ cito pereunt atque ſolvuntur — quicunque ſcripturas non ita intelligit, ut rei veritas habet, uvam acerbam comedit*, apud Gratian. diſt. XXXII. can. 4.

3. [illegible] Eccleſiaſtica, quam profana Hiſtoria nobis aperit,

1. In veteri Eccleſia nunquam de poteſtate modum Aſylis conſtituendi ſibi competente aut Pontifices aut Epiſcopos ſomniaſſe, ſed & ſeculo IV. demum & tunc etiam id ſolummodo ab iis per interceſſiones eſſe tentatum, ut pro criminum reis miſericordiam a Principibus efflagitarent.

2. A Principibus Aſyla modo indulta, modo reſtricta, modo penitus ſublata fuiſſe, uti id patet Ex Cod. Theod. L. 1. 3. 5. de his, qui ad Eccl. conf. L. 16. de pœn. L. 32. De Epiſc. L. 17. de appel. & ex Cod. Juſt. L. 3. 4. 6. de his, qui ad Eccleſ. conf. Nov. XXII. c.7.

4. Cum illa a principibus conceſſa Aſyla mera Principum privilegia fuerint, cum judicia Eccleſiaſtica nunquam in hiſce cauſis Jure Eccleſiæ proprio, ſed tanquam tribunalia Principis & ejuſdem nomine judicaverint, tam parum Conſiſtoria Eccleſiaſtica Principi obtendere poſſunt, uſu diuturno & Principum ipſorum conſenſu Aſyla Eccleſiis ita relicta eſſe, ut inde nec auferri nec immutari queant, quam parum aliis Principi ſubjectis tribunalibus liceret opponere ſimilia, dum Princeps cauſas apud hoc illudve Tribunal tanto tempore pertractatas poſthac apud tribunal alterum pertractari, & hæc illave immutari aut penitus tolli juberet. Objectionibus quas minus rectæ privilegiorum & præſcriptionis notioni ſuperſtruunt, jam etiam ſupra obviavimus.

Quibus demonſtratis hæc innituntur corollaria.

1. Falſas Iſidori decretales & fictam illam ad Bonifacium comitem Auguſtini Epiſtolam hac in parte plane non attendi debere, ſed etiam

2. Quaſcunque Pontificum conſtitutiones & Bullas circa Aſyla, tanquam ultra Eccleſiæ poteſtatem diſponentes, non obligare, niſi eaſdem Principes tanquam ſuas leges ſervari juſſerint, hinc

3. Conſtitutiones Gregorii XIV. Benedicti XIII. Clementis XII. & Benedicti XIV. non tanquam Bullas Pontificias, ſed tanquam ordinationes principum jus facere, ubi ſunt receptæ; porro

4. Earundem Bullarum omnino nullam adeo firmum & ineluctabile fundamentum eſſe, ut non per Principes abrogatio, derogatiove, aut quæcunque alia determinatio non conſultis Pontificibus fieri queat.

5. Ridiculum eſſe illud, quod Cardinalibus quidam vindicare volunt Privilegium, vi cujus illi obvios ſibi factos ejuſmodi, qui ad ultimum ſupplicium ducuntur, a mortis pœna liberare poſſint.

6. Aſyla tanquam Privilegia Principum & ſtrictiſſimæ interpretationis, & quidem interpretationem authenticam a ſolis Principibus petendam eſſe.

7. Ad ſolum quoque Principem, quia penes eundem tantummodo delicta in foro externo cognoſcendi, & adgratiandi Jus reſidet, cognitionem, num is, qui ad Eccleſiam confugit, etiam Aſylo gaudeat, pertinere, atque adeo eam nec quidem mixti fori eſſe.

8. Etiam eum, cui Aſylum prodeſt, non ab Eccleſiaſticis retineri, aut in libertatem promoveri poſſe, ſed ad mitiorem pœnam, ſi eam ſtatuere libuerit Principi, ſuſtinendam extradi debere.

9. Si aut ejuſmodi extraditio denegaretur, aut confuga Aſylo plane indignus, & ne juſtitiæ ſubtrahatur, metuendum eſſe, ad eundem ſeculari brachio confeſtim extrahendum licentiam Epiſcopi, a cujus arbitrio Aſyla non pendent, & qui ipſe ſeculari poteſtati in rebus rempublicam concernentibus eſt ſubjectus ſuperfluam fore. Denique

10. Violatores immunitatis a principibus conceſſæ etiam non aliis pœnis, quam quas Principes ratihabuerint, vel ſtatuerint ipſi, ſubjiciendos eſſe. Et hæc univerſe cum Jure Eccleſiaſtico communi conſiſtunt; de jure enim Auſtriaco & per conſtitutionem Auguſtiſſimæ Noſtræ Specialem circa Jus Aſyli determinationem noſtram habemus, in quam egregie commentatus eſt D. Sartori Conſiliar. Eccleſ. Elvangenſis. Conf. ante alios cl. Van-Eſpen diſſertatio de Aſylo templorum quæ & inter ejuſdem authoris opera & in mea collectione ſelectarum lucubrationum in diſtributione prima habetur.

Ceterum totius hujus commentationis de juribus Principum circa ſacra ſit eadem concluſio, quæ apud Franciſcum de Roye Anteceſſorem Andegavenſem in tractatu de miſſis dominicis, ad diſciplinam publicam cap. 2. ſub finem deprehenditur his verbis: *nec muſſitent quidam — — quod miſſis dominicis, iiſque ut plurimum laicis tot tantaque concedantur in hoc tractatu, quæ omnino ſpiritualia videntur. Primo enim non illud gratis aſſerimus, ſed laudamus authores probatæ fidei, ſecundo ea omnia pertinent ad Eccleſiaſticam πολιτείαν & diſciplinam, cujus tuitio & cuſtodia eſt in manu Regis, ut paſſim agnoſcunt ſacri canones & ſancti Patres.* In edit. capit. Reg. Franc. cum notis Baluzii Venetiis 1772. Tom. I. Et ſi tantummodo probe ad axiomata ſuperius §. 101. n. k. m. ſtabilita, nec non ad ea, quæ cumprimis §. §. 105. 109. 110. 111. inculcata ſunt, reſpiciatur, ex poteſtate Eccleſiæ in diſciplinaribus competente, nulla prævalebit difficultas, quo minus Princeps urgeat illa, quæ non, *neſcio a quibus, novatoribus inventa atque obtruſa, ſed veluti rivis puriſſimos a nobis præſtructos fontes bene inſpicienti patebit, a Chriſto & ab Apoſtolis tam verbo prædicata quam exemplo, a Patribus ſanctis tradita, pridem jam diſquiſita & firmata a Conciliis, communi veteris Eccleſiæ conſenſu & uſu roborata, imo ipſorum Pontificum agnita teſtimoniis, & hinc in illis Catholicorum terris, in quibus illud Iſidorianum, ut ita dicam, interregnum aut nunquam adeo invaluit, aut citius deſtructum eſt, non tantum a Jure con-*

ſultis